



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

Articulus II. Quomodo acquirantur & conferantur Beneficia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42600**

pristinam, quàm abire ad alienam naturam, *Cox.*  
n. 321. & 326.

## ARTICULUS II.

*Quomodo acquirantur & conferantur  
Beneficia.*

“**R** Esp. I Beneficia Ecclesiastica uno ex tribus mo-  
“dis communiter acquiruntur : 1. Per electio-  
“nem, v. g. Canonicorum; vel etiam postulationem,  
“( quæ est electio ejus, qui non erat de Capitulo,  
“vel de jure non erat capax ) & confirmationem Su-  
“perioris, si electum vel postulatum idoneum esse  
“intelligat. 2. Per præsentationem Patroni præviam,  
“& institutionem subsequam, à Prælato Ecclesiæ fa-  
“ctam, si præsentatus sit idoneus. Etsi verò Patro-  
“nus præsentato jus ad rem conferat, ita ut benefi-  
“cium alteri conferri nequeat; jus tamen in re, &  
“collatio beneficii per institutionem datur. 3. Per  
“collationem liberam, quando Beneficium solo ju-  
“re Prælati datur, nec Patronatus juri subest: Unde  
“etiam beneficia, ex modo conferendi, dividuntur  
“in Electiva, Patronata, & libera.

“ Resp. II. In qualibet diocesi Episcopus est pro-  
“prius collator beneficiorum, nisi ex legitima præ-  
“scriptione hoc jus alteri competat: supremus au-  
“tem & universalis collator omnium Beneficiorum  
“non patronatorum, est Papa: *Less. lib. 1. c. 34. d.*  
“10. Ratio prioris est, quia Episcopus in sua diocesi  
“est moderator sacrorum; ergo ipsius est officia sa-  
“cra conferre. Ratio posterioris, quia Papa est su-  
“premus dispensator bonorum Ecclesiasticorum, &  
“Ordinarius Ordinariorum.

“ Potest autem Papa tribus modis Beneficia con-  
ferre

ferre, 1. Jure præventionis. 2. Jure concursus. 3. Jure devolutionis, de quibus *vid. Less. l. c. ubi notat*, jure præventionis & concursus ad vitandas lites, rarius Papam uti: imò per concordata Germaniæ inter Sedem Apostolicam, & Fridericum Imperatorem, per constitutionem Nicolai V. quæ incipit, *Ad sacra &c.* alterni tantum menses Papæ collationi reservantur, scilicet Januarius, Martius, &c. reliqui verò ordinariis collatoribus relinquuntur. Imò si per tres menses, à die notæ vacationis, in loco Beneficii nulla dispositio vel gratia Papæ appareat, Ordinarius conferre potest. Similiter mortuo Papa, quamdiu Sedes vacat *Less. l. c. Lay. l. 4. t. 2. c. 10.* Quòd si autem Pontifex & Ordinarius eodem die idem beneficium diversis contulerint, & neutrius collationis prioritas appareat, præferendus est, qui invenitur in possessione; quia pro eo jus præsumit. Si neuter est in possessione, præfertur provisorius à Pontifice, ob dignitatem provisoris, *Barbos. & Bardi d. 6. c. 6. §. 10. ex Cap. Si à Sede, De præb. in 6.* Denique si ultimâ nocte mensis Episcopalis beneficium cœperit vacare, in dubio utrùm ante, an post mediam noctem, quâ incipit mensis Papalis, si nemo sit in possessione, nec ulla provisio, præsumptio juris est pro Ordinario. *Gonzal. Barbos. Bardi §. 11.*

*Quæres I.* Quid & quotuplex sit jus Patronatus? *Resp. I.* Esse potestatem præsentandi ad Beneficium Ecclesiasticum vacans. *Resp. II.* Esse duplex, scilicet jus patronatus Ecclesiastici, quod alicui competit, quia ex bonis Ecclesiasticis; & jus patronatus laici, quod alicui competit quia ex bonis patrimonialibus Ecclesiam fundavit, vel dotavit, vel erexit. *Lay. c. 13. n. 2. & 4.*

*Quæres. II.* Quando patronus teneatur præsentare Bene-

Beneficio vacante. *Resp.* Si patronatus sit laicus, tenentur intra 4. menses: Si Ecclesiasticus, intra 6., intra quos nisi fiat presentatio, Beneficium fit liberum, & ejusque dispositio pro ea vice devolvitur ad eum, cujus est instituire presentatum.

*Quares.* III. Quid faciendum, si multi presententur. *Resp.* I. Si patronus, qui antea presentavit Petrum, presentet postea Paulum, velitque hunc preferri, poterit Prælatus instituire utrum maluerit, si patronatus sit laicus; quia tunc presentatio secunda non facit irritam primam, nec contrà. Si tamen patronatus sit Ecclesiasticus, prior tempore erit potior jure, ex *Cap. Cum authenticè, de jure patronatus.* *Resp.* II. Si ex duobus patronis alter Petrum, alter Joannem presentet, potest collator conferre utri maluerit. Imò juxta *Sylv.* Episcopus tunc tertio conferre potest, eò quòd patroni non conveniant. *Resp.* III. Si multi patroni inter se sint discordes, is instituendus, in quem plures conveniunt, *Less. d. 8. & Lay. n. 18.*

## A D D E N D A.

299 **Q.** 50 Quibus generatim modis acquirantur Beneficia. *R.* Duobus, actu, si acquiratur jus in re; & potentia, si tantum acquiratur jus ad rem: per hoc autem differunt hi modi, quòd vi juris in re beneficium sit proprium acquirentis, & simul adit potestas illud administrandi, etiam ante possessionem: solum autem jus ad rem nihil horum tribuit, *Castrop t. 13. d. 2. p. 1. à n. 1.* Jus in beneficio acquiratur confirmatione electionis vel postulationis, institutione & collatione; jus ad beneficium acquiratur electione, postulatione, presentatione, collatione necdum acceptatâ, vigore gratiæ expectativæ, re-

servat

servatione in favorem, consuetudine seu privilegio  
optandi, regressu vel accessu ob pensionem non solu-  
tam, Coadjutoriâ cum futura successione, de quibus  
dicemus in seqq., potestque videri *Leur.* p. 2. q. 3.

Q. 51. Quid sit & quomodo differant *provisio*, 300  
*nomnatio præsentatio, institutio, collatio, investi-  
tura, electio, postulatio, confirmatio, admissio, pos-  
sessio.* R.

§. I. Multi ex his terminis confunduntur, & sæ-  
pe sumitur unus pro altero, in rigore tamen videtur  
hoc modo loquendum: *provisio* est quid genericum,  
& significat dispositionem de beneficio in favorem  
alicujus, hinc qui præsentavit aut contulit alicui be-  
neficium, dicitur illi providisse, & qui beneficium  
accepit, dicitur provisos de beneficio *Nominatio*  
etiam est quid genericum & significat designationem  
unius vel plurium personarum ad beneficium, po-  
testque fieri vi præsentationis, collationis, electio-  
nis, privilegii vel facultatis aliquem vocandi ad cer-  
tum beneficium. Vide *Leur.* p. 2. q. 10. *Præsentatio*  
est exhibitio personæ beneficiandæ, facta illi, ad  
quem pertinet instituere. *Institutio* est attributio si-  
ve concessio beneficii facta ex præsentatione Patroni.  
*Collatio* est concessio beneficii ex solo jure & liberta-  
te conferentis, absque præsentatione Patroni. Vide  
*Leur.* q. 3. *Investitura* est aliquid, quo significatur  
jus in beneficio antea acceptum, & facultas intrandi  
vel petendi possessionem vacantem, fitque ordinariè,  
in absentia rei, per anulum vel impositionem bire-  
ti. Loco investituræ quandoque est installatio aut  
intronizatio. Vide *Leur.* q. 9. *Electio* est designa-  
tio alicujus personæ capacis ad aliquod beneficium,  
facta per suffragia; vide *Leur.* à q. 232. *Postulatio*  
est similis designatio facta per suffragia, quâ petitur  
aliquis, qui per dispensationem tantum capax erat,  
*Leur.*

*Leur* q. 198. *Confirmatio* electionis vel *admissio* postulationis est approbatio, quâ Superior roborat electionem vel postulationem factam: unde præsentationi respondet institutio, collationi investitura, electioni confirmatio, postulationi admissio: ultimum est *possessio*, quæ supponit titulum & jus in re completum, estque veluti positio Sedis seu pedis in beneficio, per quam habetur demum in illo quies.

301 §. II. Differentia horum colligitur ex dictis, nam I. electio & postulatio est de uno tantum, nominatio potest esse de pluribus; sic enim quidam Reges nominant Papæ tres, è quibus unum designet in Episcopum, *Leur*. q. 200. 2. Præsentatio & electio dant jus ad rem, seu dant jus, ut acquiratur beneficium; institutio, collatio, confirmatio & admissio dant jus in re, id est, faciunt beneficium esse acquisitum: postulatio autem nullum dat jus, nequidem ad rem, & per hoc præcipuè differt ab electione, *Leur*. q. 199. 3. Institutio & confirmatio electionis per hoc differunt à collatione, quòd fiant ex obligatione, nam Superior tenetur instituere præsentatum & confirmare electum; è contrà collatio fit ex sola liberali voluntate conferentis, ex qua etiam omnino liberè & ex gratia fit admissio postulationis. 4. Institutio & confirmatio per hoc differunt, quòd institutio fit de persona præsentata, confirmatio autem de persona electa, uti admissio similiter est de persona postulata. 5. Præsentatio & electio aut postulatio etiam per hoc differunt, quòd præsentatio fieri possit ab uno, eoque laico; electio autem & postulatio fiat à pluribus & solis Ecclesiasticis per suffragia.

Hactenus dicta habentur partim in jure, partim in AA citatis apud *Less.* de just. l. 2. c. 34. d. 3. & *Castrop.* t. 13. d. 2. p. 1. & 12. aliosque passim.

[Q. 52.]

Q. 52. Quid circa præsentationem sit addendum. R. Seqq. 302

§. I. Præsentatio facta antequam vacet beneficium, reprobatur Cap. 2. & 13. de concess. præb., hinc si juraris te præsentaturum Cajum, quando beneficium vacabit, promissio est illicita & irrita *Castrop. t. 13. d. 2. & 3. p. 5. n. 1. Sylvius p. 1. v. beneficium cas. 3.*; putatque *Lott. l. 2. q. 6. n. 9.* esse mortale, quia Ecclesia graviter prohibuit, ne detur occasio alienæ mortis captandæ: valet tamen præsentatio, licet non vacet beneficium, si Patronus putavit vacare, tum enim convalescet à die veræ vacationis, *Lott. Corr. l. 4. c. 6. n. 37.*

§. II. Potest fieri vel missis litteris vel per procuratorem, Cap. *Ea noscitur*, De his quæ fiunt à Prælati: attamen cum speciali mandato, *Barb. de potest. Episc. alleg. 72. n. 116. Corr. c. 2. n. 23. Leur. p. 2. q. 124.* Potestque, si adsit justa causa absentia, antedecenter id demandari pro tempore futuræ vacationis etiam unici beneficii, *Lott. n. 10.*, duratque mandatum etiam secutâ sed ignoratâ morte mandantis, *Lott. q. 14. n. 43.*, sed non debuit nominari certa persona præsentanda, ne huic daretur occasio captandi mortem alterius, *Lott. q. 6. n. 12.* Vide *Leur. q. 99.* Similiter potest quis se instituenti præsentare per litteras vel per procuratorem, *Az. Castrop. p. 1. n. 6. Luca de Jurep. d. 64. n. 30. Leur. q. 125.* Potest etiam præsentatio fieri per scripturam privatam, aut oretenus sine omni scriptura & absque certa verborum forma, dummodo exprimat actualis voluntas præsentantis, *Luca à n. 21.*

§. III. Potest esse conditionata, obscura, dubia; 304  
v. g. præsentio, si per dispensationem te statim reddas habilem, si Papa mihi reservet pensionem, si sis mihi sanguine proximior &c., dummodo conditio, obscu-

obscuritas, incertitudo purificetur intra tempus concessum ad præsentandum, *Castrop. d. 3. p. I. n. 3. Corr. n. 26. Luca supra, Leur. q. 127.*

305 §. IV. Ut afferat aliquod jus, debet esse facta habenti instituere, & à præsentato vel ab habente speciale illius mandatum acceptari intra terminum Patrono concessum ad præsentandum, aliàs collatio beneficii devolvitur ad Superiorem; debetque de acceptance constare per litteras vel procuratorem, *Castrop. Garc. Corr. Barb. Leur. q. 122.* Si autem bonâ fide præsentarit non habenti jus instituendi, habet iterum tempus novum præsentandi, de jure concessum ad præsentandum, *Corr. Barb. n. 141. Leur. q. 123.*

306 §. V. Patronatui laico conceduntur respectu beneficii simplicis quatuor menses, Ecclesiastico sex ad præsentandum, *Cap. Quoniam, Cap. Cum propter, Cap. Eam te, de Jurep. Patronatui mixto similiter sex secundùm communem sententiam, quamvis Castrop. d. 2. p. 5. n. 2. dicat concedi tantùm quatuor, si laici præsentent seorsim ab Ecclesiasticis; quod etiam dicunt Pereira, Gonz. Lott. Barb. alleg. 60 n. 17., si simul præsentent & sint plures laici quàm Ecclesiastici, sed in hoc contradicunt Vivian. Paris. Luca n. 4. Nicol. t. I. d. II. §. 9. Et hæc valent etiam pro prima provisione beneficii jam erecti, currit enim tempus à die factæ erectionis, *Lamb. Corr. c. I. à n. 5. Leur. q. 142.* Reges tamen & summi Principes non arctantur tempore, quia hi, non item alii, præsumuntur habere multa impedimenta, *Garc. c. 2. n. 34. Castrop n. 5. Corr. p. 10. c. 2. n. 64. Luca n. 13.* Pro beneficio curato debet secundùm Bullam *Pii V.*, ubi recepta est, etiam à laicis fieri præsentatio intra 20. dies, & præsentatus institui intra duos menses à die peracti examinis, *Bass. T. 2. v. beneficium**



*cium* §. 5. n. 5. *Leur.* q. 135. Quòd si præsentatio non fiat intra tempus, devolvitur ad Superiorem, uti dicitur n. 566. In Clivia tamen, Julia & Montibus pro bimestri prius devolvitur ad Principem seu Ducem.

§. VI. Ille, ad quem spectat instituere, potest 307  
prolongare tempus ad aliud quadrimestre vel semestre, ( non tamen ultra ) quia illa determinatio temporis facta est in instituentis favorem, cui cedere potest, *Barb. alleg.* 72. n. 143. *Castrop.* n. 8. *Corr.* n. 66. *Luca* n. 16. Nec ideo fit injuria Superiori, ad quem collatio devolveretur, quia devolutio collationis non habet locum, nisi post elapsum quadrimestre vel semestre inter præsentationem & institutionem, præsentatio autem differri potuit usque ad diem ultimum illius temporis, *Leur.* q. 137. Potest etiam præsentatio, institutio, collatio ( non tamen electio ) fieri statim mortuo & necdum sepulto Rectore, *Garc. c.* 1. n. 38. *Corr. c.* 6. à n. 39. *Leur.* q. 138.

§ VII. Menses computantur, prout tum occur- 308  
runt in Calendario, & de momento ad momentum, secundum dicenda n. 420. Hoc autem tempus incipit currere, non ab hora, quâ vacavit beneficium, sed quâ patronus habuit notitiam vacationis, *Az.* *Tiraq Barb. Castrop.* n. 3. *Garc.* n. 34. *Lott* q. 6. n. 23. contra *Lambert.* & alios, cum enim statutum sit in pœnam negligentiae Patronorum, talis pœna non habet locum nisi post scientiam; quod verum est, licet fundatio haberet, ut præsentatio fiat intra tale tempus à die mortis vel vacationis, debet enim intelligi, *cognita*, *Corr. c.* 2. n. 74. Et opponens præsentationem non esse factam in tempore, tenetur probare Patronum scivisse vacationem, quia non præsumitur voluisse negligere jus suum, *Barb. Garc. Castrop. Corr.* n. 75. *Luca* n. 5. Quòd si fuerint sex pa-  
L troni,

troni, & quinque scientes vacationem neglexerint præsentare, sextus, qui nescivit, præsentat solus, *Barb. Castrop. Garc. c. 2. n. 41. Leur. q. 139.* Neque hoc tempus currit legitime impedito, quominus præsentet, quia nemo debet sine sua culpa privari jure, quod ipsi est certum, *Abb. Barb. Castrop. n. 5. Pirh. l. 3. t. 38. à n. 105. Leur. q. 40. n. 1.*, ubi recenset impedimenta aliqua: Vide etiam dicenda à n. 421. Et quamvis tempus non currat collatoribus & electoribus litigantibus de jure conferendi aut eligendi, tamen currit Patronis litigantibus de jure præsentandi, si neuter sit in possessione, ideoque eo evoluto, si lis non sit finita, potest Ordinarius conferre, *Arz. Garc. n. 19. Castrop. n. 6. Lott. n. 26.* Si tamen patroni litigarent tantum de habilitate præsentati, aut litigarent cum Episcopo volente Ecclesiam esse liberam, non curreret illis tempus, sed expectandus esset finis litis, *Ricc. Barb. Castrop. n. 7. Pirh. à n. 111.* Ut nec tum currit, si lis sit inter præsentandos, quorum unus dicat se præferendum alteri, *Castrop.*; nec patroni tum possunt præsentare tertium, aut alium substituere in locum unius mortui, *Covarr. Lancell. Castrop. p. 5. n. 5. & p. 10. n. 9. Barb. de jure Eccl. l. 3. c. 12. n. 173. Garc. p. 5. c. 9. n. 217. Leur. q. 140.*

309 §. VIII. Si præsentatus renunciaret aut moriatur, vel detegatur vitium, ob quod irritatur præsentatio, abhinc incipit Patronis currere novum tempus, *Corr. c. 3. n. 19. Leur. q. 141.*

310 §. IX. Si præsentatio vel collocatio fiat post elapsum tempus, potest irritari: quia tamen jura non tam intendunt poenam negligentium, quam ut Ecclesiis vacantibus citò provideatur, si postea per celerem provisionem mora quasi purgata sit, debet talis provisio de æquitate tolerari, *Cap. litteras, de supp.*

supp. neglig Prælat., Engel l. 3. t. 5. n. 65. Vide dicenda n. 568.

§. X. Si plures patroni præsentent per modum unius, sive prout faciunt unum corpus, v. g. unum Capitulum, omnes vocandi sunt, ita ut si unus, qui possit vocari, fuerit omissus, præsentatio sit nulla; si autem præsentent ut singuli & per modum plurimum, *Vasq. Garc. & alii cum Less. de just. l. 2. c. 34. n. 34.* putant præsentationem à majore parte patronorum factam esse validam, quia etiam si adfuisset, qui omissus est, tamen prævaluisset pars opposita major: Contradicunt *Az. Laym. Castrop. p. 8. à n. 1. Leur. q. 131. n. 1.*, quia nemo sine sua culpa privandus est jure, quod habet: sufficienter tamen censetur aliquis vocatus, si vacatio beneficii sit ab Ordinario ita publicata, ut in notitiam omnium patronorum potuerit devenire.

§. XI. Ad validam præsentationem requiritur, ut major pars Patronorum consentiat in unum, uti dicitur n. 394., unde si communitas præsentet, pars absolutè major illius consentire debet, alioquin non est verum communitatem præsentare, *Silv. Az. Vasq. Castrop. Leur. q. 131. n. 3.* Hinc si Titius in Capitulo 12. personarum nominetur 7. votis, Cajus 5., & postea Titius rescietur fuisse inhabilis, Cajus non habet jus, quia non est nominatus à majore parte Capituli, potestque Capitulum intra tempus à jure concessum præsentare alium. E contra si plures præsentent ut singuli, illa pars prævalet, quæ respectu aliarum est major, v. g. si sint 9. Patroni, & à duobus præsentetur Titius, à tribus Cajus, à quatuor Sempronius, prævalet præsentatio Sempronii, quia licet non sit à majore parte Patronorum, si computentur omnes, est tamen à majore parte eorum, quatenus præsentationem faciunt, &

comparatione aliarum partium, *Silv. Az. Vasq. Castrop.* n. 4. Consequenter dicendum est si plures communitates tanquam diversa corpora concurrant, illum prævalere, qui à pluribus integris communitatibus nominatur, v. g. si communitas A. habens 30. personas unanimiter præsentet Titium, communitas B. habens 20. personas unanimiter præsentet Cajum, & è communitate C. habente 20. personas novem præsentent Titium, undecim Cajum, Cajus prævalet, quia habens majorem partem communitatis C., censetur habere totam, *Laym. ad Cap. pastoralis* de rescriptis, n. 9. *Lott. q. II.* à n. 134. Ob rationem datam, si votum Patroni A. æquivalet votis Patronorum B. C. D., eò quòd hi descendant ex unico stipite, si Cajus habeat votum Patronorum A. & B., non ideo prævalet Titio habenti vota Patronorum C. & D., quia Titius censetur habere votum totius hujus stipitis æquivalentis alteri, hinc sunt æquales in votis. Similiter si præsentatio fieri debeat ab Episcopo & Capitulo velut singulis, & Titius habeat votum plurimum de Capitulo, Cajus autem Episcopi & aliquorum Capitularium, sunt pares, uti ex *Trid. Sess. 25. c. 6.* notant AA. communiter apud *Luca* de benef. d. 30. n. 7. & *Leur.* n. 5., ac iterum q. 698. Quid autem in tali æqualitate fieri possit, habet *Leur.* q. 131., & aliquid insinuabitur n. 364.

313 §. XII. Præsentatus pluribus votis, si habilis sit, debet præferri, *Cap. Quoniam*, de Jurep., & ex communi *Leur.* q. 195., addens cum *Abb. Roch. Garc.* p. 9. c. 2. n. 88., si minor pars præsentet habilem, major inhabilem, priorem præferri, quia posterior præsentatio est, ac si non esset facta. Quòd si Patronus Clericus & laicus præsentarint Cajum, & laicus variet accumulando Titium, prævalet  
Cajus,

Cajus, quia habet duo pro se vota, *Abb. Barb. Castrop. Pirb. Leur.* suprà; & constabit ex dicendis n. 315.

§. XIII. Præsentatus potest, antequam instituat, renunciare præsentationi in manibus Patroni, etiamsi præsentatio stetit per annum, quia juri ad rem non est opus renunciare in manibus Superioris; imò renunciare potest in manibus simplicis Notarii; tumque habebit Patronus iterum totum tempus, quia per eum non stetit, quominus præsentatio consequeretur effectum, *Corr. Leur.* q. 135. 314

§. XIV. Omnes Patroni possunt ante præsentationem variare suam mentem, quia res adhuc integra est: post præsentationem autem potest solus Patronus laicus variare seu præsentare alium, non privativè, id est, non excludendo primò præsentatum, sed cumulativè, id est, adjungendo illi alium, etiamsi jus patronatus sit mixtum, dummodo ab initio præsentarit diversum ab illo, quem præsentarat Ecclesiasticus, *Abb. Tiraq. Barb. Castrop.* p. 6. n. 7. *Leur.* q. 148.; si tamen duo laici initio præsentarunt eundem, non potest unus accumulare invito altero Patrono, *Leur.* suprà. Quòd si etiam plures sint accumulati, adhuc liberum est instituenti præferre, quem volet, *Cap. Cùm autem, & Cap. Quod autem,* de *Jurep., Garc.* à n. 211. Ac posse etiam plures successivè sic accumulari à Patrono laico, docent *Gl. Abb. Decius, Az. Castrop.* n. 3. contra *Nay. Garc. Guttier. Lambert. Barb. Pirb.* & alios, eò quòd hoc videatur Ecclesiæ utile ob majorem delectum. Vide *Leur.* q. 145. à n. 4. Quòd si moriatur Patronus laicus, poterit successor variare, uti potuisset defunctus, *Vivian. Corr.* l. 4. c. 7. n. 23. *Leur.* q. 146. Patronus verò Ecclesiasticus, quamvis variare non possit, tamen potest plures simul præsentare, ut ex illis unus instituat, *Lop. Garc. Castrop.* suprà. 315

- 316 §. XV. Patronus laicus, si indignum vel inhabilem inscienter præsentarit, potest, & mandari debet illi, ut intra tempus statutum præsentet alium, Cap. *Cum vos*, de off. Jud. Ordin., *Corr. c. 6. n. 41. Pirb. n. 104.* Docetque *Barb. de jure Eccl. l. 3. c. 12. n. 174.* idem posse patronum Ecclesiasticum. Addit n. 176. laicis etiam post tempus permitti intra certum tempus præsentare alium: putatque *Leur. q. 145. n. 3.* post detectum errorem habere Patronos illos iterum totum tempus.
- 317 §. XVI. Si laicus scienter præsentarit indignum, *Fagn. Pirb. Less. l. 2. c. 34. n. 29.* & alii putant nequidem pro illa vice privari jure præsentandi & variandi, quia Canones id dicunt tantum de eligentibus: leges autem civiles dicentes privari etiam præsentantes non obligant in materia ecclesiastica; sed communius contradicunt alii cum *Roch. Lambert. Barb. Corr. Luca de jurep. d. 47. n. 2.*, docentes devolvi ad Superiorem: Est autem Ecclesiasticus saltem privandus pro ista vice, uti habet communissima cum *Leur.*, quamvis *Less.* dicat oppositum etiam esse valde probabile. Et aliqui ex hoc excusant Patronos, quod non ipsis sed Episcopis committatur provisio digni. Vide *Leur. q. 153.*
- 318 §. XVII. Si sex sint in solidum Patroni, & eorum quinque præsentarint indignum, sextus retinet jus præsentandi, *Luca de benef. d. 28. à n. 17.* Quod tenet, quamvis ejus mandatarius etiam præsentasset indignum, dummodo hic non fuerit à mandante designatus, quia mandatum non debet trahi ad factum, unde mandans incidat in poenam, *Lott. q. 6. à n. 30.*
- 319 §. XVIII. Quod *Bonif. VIII.* statuit Cap. 1. *lite pendente*, in 6., ut si duo electi litigent & unus moriatur, vel à lite desistat, non præcedatur ad aliam electionem.

electionem, valet etiam, si lis oriatur inter duos præsentatos, tum enim non possunt Patroni, etiam laici, nequidem accumulando variare, licet adhuc duret tempus præsentandi, nimirum ne lites prorogentur, *Calder. Lap. Lott. q. 20. à n. 2. Garc. n. 217.* contra alios apud *Castrop. p. 6. n. 5.* Aliud est, si lis esset tantum inter Patronos, vel inter Patronum & Episcopum, quamvis accessorie redundaret etiam in præsentatos, tum enim variare posset Patronus, *Archid. Lott. à n. 7.* Potest etiam Patronus mortuo uno præsentato, præsentare alium è collitigantibus, sic enim acceleratur finis litis, *Garc. n. 220. Paris. Castrop. n. 6.* contra *Gonz.*, cui adhæret *Barb. n. 177.* pro casu, quo lis penderet super titulo aut aliter prorogaretur. Vide *Leur. q. 147.* Quod si moriatur collitigans, cui favebat Patronus, docet *Castrop. p. 10. n. 9.* nequidem Papam posse instituere superstitem invito Patrono, nisi prius derogat juripatronatus, sed causam mortui esse prosequendam, pro quo si decidatur, provisio facienda est, tanquam si beneficium ex tunc vacaret per mortem.

§. XIX. Si patronus jurarit non revocare præsentationem primi, potest nihilominus accumulando præsentare secundum, quia per hoc non mutat sed relinquit præsentationem factam, secundum dicta n. 315. Si autem jurarit non accumulare aut simpliciter non variare, *Gutt. Lamb. Barb. de pot. Episc. alleg. 72. n. 177. Castrop. p. 6. n. 8.* dicunt invalide præsentari alium, quia juramentum accedens actui ad sui valorem requirenti auctoritatem Judicis (qualis est præsentatio) reddit eum irrevocabilem juxta *Gl. & Cap. licet mulieres, de jurejur. in 6.*, nisi ille, in cujus favorem adjectum est, cedat juri suo, *Lucas de jurep. d. 43. n. 10.* Excipiunt *Covarr. & alii*, nisi Ordinarius hanc secundam præsentationem

nem approbet. Imò adhuc invalidam esse præsentationem secundam, quamvis solùm promiserit non variare, docent *Lap. Gutt. Castrop.* quia per promissionem acceptatam cesserat juri variandi. Quòd si quis commiserit procuratori præsentationem ac jurarit non revocare commissionem, posse nihilominus validè revocare docet *Castrop. n. 10.* Vide *Leur. q. 149. & seqq.*

321 §. XX. Post legitimam institutionem nulli Patrono licitum est variare, *Cap. Quod autem, de Jur. rep., Castrop. p. 6. n. 1.,* Quod tenet, etiam si postea contra institutum moveretur lis, *Castrop. n. 5. Garc. p. 5. c. 9. n. 218.* Item tenet secundùm *Cap. Si tibi absenti, de præb. in 6.,* etiam si possessionis traditio necdum sit facta, *Pirh. n. 98.* Quamvis autem electionis scrutinium publicatum revocari non possit, *Cap. Publicato, de elect.,* tamen si præsentatio etiam Capituli necdum sit facta Superiori, quamvis aliquis sit in Capitulo nominatus, revocari potest, *Laym. ad tit. de elect. n. 3.*

322 §. XXI. Qui præsentatur, debet esse actu idoneus, *Barb. Castrop. p. 7. n. 1.;* nisi præsentetur sub conditione procurandæ idoneitatis, & hæc procuretur intra tempus præsentandi, *Corr. l. 4. c. 6. n. 26.* Quòd si inter duos aptos unus sit actu habilis alter inhabilis, qui intra tempus concessum habilitari possit, potest, sed non tenetur expectare Patronus, *Lucca d. 45. n. 8.* Hinc si unus è familia sit præsentandus, & primo mense nullus sit habilis, potest statim præsentare alium non de familia, *Leur. q. 152.*

323 §. XXII. Si fundatio requirat aliquem certo loco natum, qui non est tali loco natus, præsentari non potest: Ut autem quis dicatur certo loco natus, satis est ejus Patrem esse inde oriundum, *las. Mandos. Barb. alleg. 4. à n. 6. Castrop. d. 4 p. 9. n. 2.;* potestque



testque etiam videri de Ordine p. 15. Similiter si præsentandus debeat esse civis certæ urbis, illi non obstat, quòd fortè natus sit alibi ob accidentalem moram Matris, quia natus extra patriam ex causa accidentali absentia Parentum dicitur verus civis prioris patriæ, ac si verè & propriè ibi natus esset, *Felin.* aliique apud *Luca* de benef. d. 61. n. 4., notans tamen ex circumstantiis sæpe plus exigi ex mente fundatoris. Quòd si fundatio habeat, ut sit filius civis certæ urbis, *Ticius* autem non sit filius civis sed re ipsa civis, videtur esse capax, quia conditio est adjecta in favorem civitatis, nempe ut hujus membro detur beneficium, quod hic fiet, maximè cum plus sit esse civem quàm purè filium civis.

§. XXIII. In eo casu, quo fundatio dicit præsentandum debere esse ex certa familia, *Rodriq. & Luca* de Jurep. d. 43. n. 3. putant præsentari posse non proximior, quod *Castrop.* n. 5. vocat probabile, quia quando non exprimitur proximior, electio videtur esse relicta Patrono: sed communis cum *Gutt. & Garc.* p. 7. c. 15. n. 17. contradicit, quia proximior censetur esse fundatori gratior, utpote conjunctior: si expresserit, *proximior*, intelligitur proximior fundatori, *Lamb. Vasq. Garc.* n. 20. *Castrop.* n. 6., dummodo tempore præsentationis sit habilis, *Luca* n. 6.; ubi addit, si duo sint æquè proximi, unus è linea masculina, alter è foemina, secundum *Garc.* n. 21. posse præferre quem vult, quia hic non agitur de propagatione nominis vel familiae; secundum *Castrop.* n. 7. debet præferre eum, qui est è masculina, quia censetur fundatori gratior; hinc n. 8. addit, si conjuges ex bonis communibus fundarint beneficium pro familia, in gradu æquali præferendos consanguineos mariti, nisi consanguinei uxoris essent in fundatione primo loco nominati,

*Felin. Gutt. Gomef. Castrop. n. 9.* Computatio autem proximitatis est facienda potius secundum jus civile, nisi fundatio restrinxisset ad quartum gradum, quia tum denotaretur jus Canonicum, *Garc. n. 25. Castrop. n. 10. Leur. q. 156.*

325 §. XXIV. Legitimus à Principe sæculari censetur esse de familia, hinc si Ecclesia etiam dispenset cum eo, & fundatio utatur verbis naturæ, quod præsumendum est, v. g. si dicat, provideatur aliqui *ex descendantibus nostris, ex nostro sanguine*, præsentari poterit ad tale beneficium pro familia erectum: si autem utatur verbis civilibus, v. g. provideatur aliquis *de familia, cognatione, consanguinitate, stirpe*, *Garc. à n. 39.* putat non esse capacem, sed *Gonz. & Castrop. n. II.* dicunt spectandum esse communem modum loquendi & circumstantias: sicque admitti posse etiam spurium, si non censetur per verba excludi: si tamen adsit legitimus, videtur præferendus, quamvis esset remotior, quia legitimus censetur superare omnem propinquitatem illegitimi, *Gutt. Peregr. Rodrig. Castrop. n. 13. contra Gonz. & Garc. n. 53.*

326 §. XXV. Patronus non potest seipsum præsentare, id enim in odium ambitionis prohibetur *Cap. Per nostras, de Jurep., Castrop. d. 4. p. 7. n. 2. Barb. de jure Eccl. l. 3. c. 12. n. 193.* Quod tenet in beneficiis etiam simplicibus, *Corr. l. 4. c. 2. n. 16. Pirh. n. 90.* Potest tamen unus Patronus præsentare alium Compatronum, & hic dicere, *consensu præsentationi de me factæ*, *Lamb. Ricc. Az. Tusch. Barb. Castrop. n. 3.* Unde si sint tres Patroni, quarum unus nominarit Titium, alter Compatronum, qui consentiat, hic consensus facit, ut habeat duo vota: quòd si nominatio fieret secretè & tertius aliquis cum Compatrono haberet æqualia vota, posset Patronus

Patronus publicatis votis advertens se nominatum, revocare suum votum, & consentiendo in seipsum facere plura pro se vota; non posset tamen per talem accessum facere pro se paritatem votorum, *Lamb. Corr. suprâ.*

§. XXVI. Nequidem per procuratorem à se delegatum ad præsentandum potest præsentari Patronus, quia sic præsentaret seipsum, cum delegatus agat nomine delegantis, *Paris. Castrop. Pirh. n. 89. contra Rice.*, cujus opinionem *Corr. n. 17.* dicit esse contra innumeras Rotæ decisiones, contra DD. omnium sententiam & praxin: Excipiunt *1. Andr. & Pirh. n. 91.*, nisi in delegatum transtulerit omnem potestatem nominandi, quem volet & judicavit aptiorem: quod magis valet, si omnes Patroni constituerint procuratorem, hic enim poterit præsentare unum ex Patronis, *Corr. n. 21.* Procurator tamen ipse non potest præsentare seipsum, quia maneret locus ambitioni, *Gonz. Lamb. Barb. Castrop. Leur. q. 165.* Si autem Patronus liberè & absque pacto renunciet juri præsentandi, potest instituens eum vocare ad beneficium; Item si instituens antecedenter Patrono offerat beneficium, hic poterit consentire, *Abb. Vasq. Less. Barb. Castrop. Pirh. Leur. q. 164. n. 9.*

§. XXVII. Patronus potest à Papa, aut si pauper fit, & beneficium sit simplex, etiam ab Ordinario per viam deprecationis obtinere beneficium, cum enim ei debeantur alimenta, sic optimè consulitur ipsi, *Abb. Lamb. Corr. Barb. n. 199. Pirh. n. 91. Luca d. 45. n. 8. Leur. q. 164.*

§. XXVIII. Patronus potest filium suum præsentare, quia non censetur hic esse una cum illo persona, *Abb. Az Barb. Corr. Castrop. Pirh. n. 92. Leur. q. 166.* Item donatarius potest præsentare donantem jus patronatus, dummodo absit suspicio pacti & fraudis;

fraudis; debet tamen donatio esse in perpetuum facta cum consensu Episcopi & cum abdicatione privata omnis juris præsentandi, etiam cumulative, *Lamb. Corr. Leur. q. 167.*

An præsentatus per plures præsentationes possit prosequi singulas, dicitur n. 437.

330 Q. 53. Quid præterea notandum sit circa jus patronatûs & Patronos. R. seqq.

§. I. Jus patronatûs est potestas nominandi vel præsentandi Clericum ad beneficium ecclesiasticum vacans; sive secundum *Lott. l. 2. q. 3. à n. 22.* est prærogativa certa concessa per Ecclesiam in retributionem temporalium pro constituendo beneficio ecclesiastico elargitorum; fundans enim beneficium habet prærogativam honorificentia, sustentationis (si ipsi & liberis deficiant alimenta) & potestatis præsentandi ad beneficium, *Lott. & alii cum Leur. p. 2. q. 29. & 102.* De illa honorificentia vide *Leur. à q. 103.* De alimentis autem à q. 105.

331 §. II. Jus patronatûs dividitur in personale & reale, secundum dicta l. 3. p. 1. à n. 127. Etiam aliter dividitur in ecclesiasticum, laicale & mixtum: tum est ecclesiasticum, si beneficium fundetur ex bonis ecclesiasticis; laicale, si ex bonis patrimonialibus vel aliis, de quibus fundans, licet sit ecclesiasticus, liberè possit disponere, *Garc. p. 5. c. 1. à n. 593. Corr. l. 4. c. 2. à n. 48. Nicol. t. 1. d. 5. §. 2. Leur. q. 15. & 16.* Mixtum est, si proveniat titulo partim ecclesiastico partim laicali, ac competat patrono tum ecclesiastico tum laico. Si nesciatur, ex quibus bonis Ecclesiasticus fundarit beneficium, utendum est præsumptione, nam si jus præsentandi dederit suis hæredibus, consanguineis, laico, debet censerì laicale, alias non potuisset illis donari, nec hi ab initio admissi fuissent ad præsentandum, *Mandobus, Ganz. Garc. n. 594.*

n. 594. *Lott.* q. 10. n. 2. Addunt *Corr. & Nicol.* §. 17. si laici sint in possessione præsentandi, etiam præsumi laicale, nisi contrarium expressè probetur

§. III. Cap. *Si laicus*, hoc tit. in 6. statuit *Bonif.* 332  
*VIII.* ut si laicus jus suum patronatûs conferat Ecclesiæ, Collegio Clericorum vel Monasterio, censeatur ecclesiasticum: idem est, si conferat personæ ecclesiasticæ ratione dignitatis vel beneficii, cui annectit, *Barb.* de jure eccles. l. 3. c. 12. n. 10. *Lott.* n. 6. *Leur* q. 16. n. 9 *Nicol.* §. 4. Etiam tum est ecclesiasticum, si competat laicis utriusque sexûs religiosè viventibus, Begunis, Monialibus, Abbatissis, Communitati Tertiariorum *S. Francisci*, Commendatoribus Ordinum militarium, etiam conjugatis, *Barb. Garc. Lott. Leur* n. 11. Idem dicunt aliqui contra alios, si competat Confraternitatibus laicorum alicui Ecclesiæ affixis; si datum sit laico ratione Ecclesiæ, v. g. quia est Provisor; si competat hospitalium Administratoribus laicis, aut Collegiis institutis pro sustentatione egenorum, uti refert *Leur.* à n. 12. Hæc tamen & similia censeari debent laicalia ad effectum derogationis & reservationum. Et si quis fundans beneficium ex bonis laicalibus det jus patronatûs Ecclesiæ, expressè præservans, ut sit & maneat laicale, manet tale, *Barb.* n. 12. *Lott.* n. 5. Item si Clericus laicis fundatoribus successerit, etiam manet laicale, *Barb.* n. 14. *Corr.* n. 54. 58. Quòd si beneficium fundatum sit ex bonis ecclesiasticis; quamvis jus patronatûs illius transfiret ad laicum, maneret ecclesiasticum, nisi hic acciperet titulo oneroso, v. g. permutatione apud Papam, tum enim efficeretur laicale, *Barb.* n. 16. *Pirb. Leur.* n. 6.

§. IV. Si ex tribus Patronis duo sint ecclesiastici, 33  
*Lott.* n. 67. dicit jus patronatûs esse ecclesiasticum; si duo laici, laicale: tum autem tantum vult dici mixtum,

mixtum, si æqualiter pertineat ad ecclesiasticos & laicos; sed *Castrop.* t. 13. d. 2 p. 2. n. 3. adhuc vocat mixtum, si Patroni ecclesiastici & laici concurrant, quamvis non æquali numero; tale autem jus patronatus semper gaudet privilegiis laicalis, hinc excludit reservationem, concursum &c. *Luca, Leuv.* q. 18. Quod tenet, etiamsi Patroni inter se convenirent, ut hac vice præsentaret solus ecclesiasticus, postea solus laicus, tum enim, quando præsentaret ecclesiasticus, non posset alternare Papa, *Lott.* n. 98. *Leuv.* q. 19. contra *Garc.* Vide dicenda n. 480. & 515. 516.

334 §. V. Jus patronatus aliter dividitur in *hereditarium*, quod transit ad quoscumque hæredes etiam extraneos; potestque illud sibi reservare hæres, si testator jusserit erigi beneficium, *Nicol.* §. 18. *Gentilitium*; si fundator voluerit pertinere ad gentem seu familiam aliquam, quæ si emoriatur, redit ad hæredes; in dubio autem semper censetur hereditarium. *Mixtum*, si fundator in eo, qui debet providere, exegerit, ut esset non tantum hæres, sed etiam de certa familia: potestque jus patronatus semel constitutum, si fundator ipsemet petat, per Episcopum mutari de hereditario in gentilitium vel mixtum, & contra, *Lott.* q. 11. & 47. *Leuv.* q. 20. & seqq.

335 §. VI. Jus patronatus ex communi juris dispositione acquiritur, 1. per foundationem Ecclesiæ five per concessionem fundi, in quo ædificetur, *Leuv.* q. 39. 2. Per liberam Ecclesiæ ædificationem aut plane destructæ reædificationem, ita ut novâ consecratione egeat, *Leuv.* q. 40. 3. Per dotationem, five per assignationem reddituum sufficientium pro sustentando Rectore seu Ministris, & pro luminaribus, etiamsi Ecclesia jam fuerit antecederet ædificata & consecrata, *Leuv.* q. 30. 42. 43. Nec opus est, ut hi sibi expressè reservarint jus patronatus, cum id habeatur ex

ex dispositione juris, nisi tamen recusarint, *Garc. Castrop. Lott. Corr. Leur. q. 35.* Requiritur tamen Episcopi, & si Episcopus fundet, ædificet aut reædificet vel dotet, Papæ consensus, *Az. Barb. Castrop. Leur. q. 36. 37.*

§. VII. Si unus fundavit, alter ædificavit, tertius dotavit Ecclesiam, quamvis unus plüs, alter minüs contulerit, omnes tres habent jus patronatüs. Si duo fundarunt, uterque est Patronus; sed habent unum tantüm votum comparatione ædificantis & dotantis, *Leur. q. 31.* Non potest autem fundans aut ædificans habere jus patronatüs, nisi sequatur dotatio, imò Ecclesia absque dote ædificari non debet, aut saltem non consecrari, *Az. Barb. Leur. q. 40. n. 5.*

§. VIII. Si Clericus ex redditibus sui beneficii ædificavit Ecclesiam, habet jus patronatüs, quamdiu vivit; post ejus mortem, si Ecclesia non sit Collegiata, habet successor in beneficio; si sit Collegiata, habet Collegium Clericorum. *Leur. q. 40. n. 2.* Quòd si Ecclesia fuit planè destructa, quamvis reædificetur ex eadem materia, videtur desinere jus primi ædificatoris; si tamen tota tantüm per partes fuit reædificata, manet jus primi, *Pirh. Leur. n. 3.*

§. IX. Ædificans Ecclesiam in fundo meo me invito, acquirit quidem jus patronatüs, sed ego propriâ auctoritate destruere possum vel occupare Ecclesiam, si necdum sit consecrata; si autem sit consecrata, tenetur ipse mihi solvere pretium fundi, *Pirh. Leur. q. 41.*

§. X. Per augmentum dotis non acquiritur jus patronatüs; cum per hoc sit tantüm benefactor, nisi dos prior periisset aut facta fuisset incongrua, & augens exprimeret se novam dotem facere, *Lott. Leur. q. 44.* Dixi autem n. 293. si aliqua Ecclesia dividatur in duas, Rectorem antiquæ, si de antiqua contulit ad

ad dotem novæ, habere jus patronatûs respectu novæ.

340 §. XI. Jus patronatûs potest acquiri etiam per privilegium, si à Papa concedatur alicui ob merita in Remp. Christianam vel ob augmentum dotis, *Az. Castrop. Lott. q. 7. n. 20. Leur. q. 45.* Non potest tamen hoc concedere Episcopus, quia non potest gravare beneficium, *Garc. c. 9. n. 128. Corr. c. 5. n. 24. Leur. q. 46.* Similiter jure antiquo posset jus patronatûs etiam à laico acquiri per præscriptionem, contra Ecclesiam spatio 40. annorum cum titulo, vel tempore immemoriali sine titulo, contra alium autem laicum spatio 10. inter præsentés, & inter absentes 20. annorum, sed jure novo *Trid.* videtur aliter loquendum, uti dicitur n. 354. Quomodo autem præscribatur libertas à jure patronatûs explicat *Leur. q. 120. n. 6.*

341 §. XII. Jus patronatûs potest ab uno ad alterum transire, 1. successione per hæreditatem vel testamentum. 2. Donatione. 3. Permutatione. 4. Venditione, uti jam explicabitur.

342 §. XIII. Si fundator reservarit sibi jus patronatûs, transit ad ejus hæredes: si donarit Titio, transit ad hæredes Titii, etiam extraneos & etiam ad feminas, *Castrop. p. 4. n. 2.*; quòd fit etiam sine consensu Episcopi saltem ordinariè, de quo vide *Leur. q. 57.*; hinc si Titius instituat Monasterium in hæredem suum, transit ad Monasterium, *Lott. q. 11. n. 26.* Si tamen jus patronatûs esset constitutum in sanguine, Monasterium haberet tantùm ad vitam Religiosi, tumque rediret ad consanguineos defuncti. *Garc. Tamb. Pirb. Leur. q. 56.* Quòd si, v. g. tres filii sint hæredes, singulis competit æqualiter, *Az. p. 2. l. 6. c. 20. q. 9.*; horum autem filiis non competit in capita sed in stirpes, *Barb. de pot. Epis. all. 72. n. 79.* Vide *Leur. q. 49.* §. XIV.



§. XIV. *Covarr. Bald. Lott. n. 37. negant jus patronatus transire ad fidei-commiffarium vel usufructuarium universalem, quia non sunt hæredes; contradicunt Mol. Zæf. Corr. n. 1., quia hæreditas ad illos transit; sed meliùs distinguit Castrop. n. 5. negans de jure patronatus personali, quia adhæret personæ hæredis, affirmans de reali, quod adhæret rei hæreditariæ. Vide Leur. q. 50.*

§. XV. Si creditori detur in pignus vel in depositum hæreditas bonorum, jus patronatus, etiam reale, manet apud debitorem, quia ad præsentandum requiritur possessio juris patronatus, creditor autem non acquirit possessionem pignoris vel depositi sed nudam detentionem, *Barb. de jure Eccl. l. 3. c. 12 à n. 236. Castrop n. 14. Leur. q. 51. An transeat in conductorem, dictum est l. 3. p. 1. n. 131. Communis autem sententia habet cum Leur. q. 54, quod transeat ad emphiteutam & vasallum. Similiter transire ad sequestrum bonorum, quibus annexum est, si sequester ille fit capax, docent *Garc. c. 6. n. 1. Barb. n. 233.; quod dicunt Guts. Lamb. Castrop. p. 28. n. 5. etiam de sequestro dignitatis vel beneficii, quia sequester administrat omnia nomine Judicis & Superioris, qui tum deberet præsentare: sed alii restringunt ad solum sequestrum de consensu partium constitutum. Vide Leur. q. 53. Quod si bona Titii addicantur fisco, jus patronatus reale transit ad fiscum, personale autem ad filium vel hæredes Titii, Leur. q. 55.**

§. XVI. Si in jure patronatus gentilitio fundator dixerit, *hoc jus patronatus reservo mihi & meis descendentiibus*, intelliguntur in recta linea procreati ab ipsis; si dixerit, *mihi meisque agnatis*, intelliguntur positi in linea etiam transversa; etiam foeminae; salvâ semper prærogativâ propinquo-

ris gradus, *Lott.* à n. 49. *Leur.* q. 59. Illegitimi at-  
tem etiam veniunt nomine consanguineorum; sæpe  
tamen præsumi potest fundatorem voluisse legiti-  
mos præferri illegitimis, *Lott.* n. 150. *Leur.* q. 61.  
Vide dicta n. 325.

346 §. XVII. Potest quis sine consensu Episcopi do-  
nare jus patronatûs Ecclesiæ, Monasterio, loco reli-  
gioso, Clerico nomine dignitatis suæ, non tamen lai-  
co aut Clerico tanquam personæ privatæ, sed ad hoc  
requiritur consensus Episcopi, *Az. Barb. Corr.* à n.  
8. *Castrop.* p. 4. à n. 16. *Leur.* q. 62.; Potestque  
parens tale jus donare, cui filiorum volet, aut etiam  
extraneo, si illud habebat ex bonis liberis seu non  
spectantibus ad filiorum legitimam, *Castrop.* n. 8.  
*Leur.* q. 64. Si autem donet extraneo, putant *Gonz.*  
*Lott. Corr.* n. 16. non censeri exclusisse seipsum aut  
hæredes suos, sed hos retenturos cumulativè cum  
illo: attamen jus patronatûs semel unitum in una  
persona non potest dividi in plures, quia censere-  
tur induci major servitus Ecclesiæ vel beneficio,  
*Lott. Leur.* q. 65.

347 §. XVIII. Jus patronatûs personale potest etiam  
propriâ auctoritate permutari per se & ratione sui  
cum alia re spirituali, quia exceptâ materiâ benefi-  
ciaria non prohibentur permutationes rerum spiri-  
tualium, secundùm dicta l. 3. p. 1. n. 114. Jus patro-  
natûs reale per accidens permutari potest cum re  
temporali, si res, cui adhæret, permutetur, tum  
enim accessorie cum ea transit, *Az. Castrop.* n. 9.  
*Corr.* n. 7. *Leur.* q. 66.; & quomodo similiter  
vendi possit cum re vendita, etiam diximus l. 3. p. 1.  
n. 128.; nec ad hoc requiritur consensus Episcopi,  
*Corr.* n. 20. Possitque etiam vendens castrum re-  
servare sibi jus patronatûs separabiliter annexum,  
*Lott.* q. 9. n. 47.

§. XIX

§. XIX. Sive jus patronatus sit aliquid in se spiritua- 348  
le sive tantum annexum spirituali, tamen est materia  
simoniae, nec ratione sui vendi aut emi potest, uti di-  
xii. 3. p. 1. à n. 127. Nec de ullo jure patronatus  
cognoscere potest Judex laicus, Cap. *Quanto*, De  
judiciis, *Lott.* n. 30. *Corr.* c. 2. n. 52. *Leur.* q. 26.,  
est enim introductum per Ecclesiam & ex gratia,  
ideoque de illo vult cognoscere sola Ecclesia, quia  
reputatur semper tanquam gratia, *Lott.* *Leur.* q. 28.

§. XX. Jus patronatus non potest competere in- 349  
fidei, quamvis Ecclesiam ædificaret aut emeret ca-  
strum, cui annexum est, *Castrop.* n. 19. Similiter nec  
hæretico, *Lott.* q. 14. n. 18. Competere tamen potest  
infanti, pro quo præsentare potest tutor, *Castrop.*  
n. 21. Potestque pupillus septennio major ipsemet  
præsentare, *Garc.* c. 9. à n. 186., expedit tamen fie-  
ri per tutorem; nec requiri consensum pupilli do-  
cent alii contra alios; addunt etiam non requiri con-  
sensum filii impuberis, si pro eo præsentet pater: si  
tamen præsentet curator vel pater puberis, requiri-  
tur hujus consensus, quamvis sit minorennis, quia  
non ita amplius regunt personam, saltem quoad spi-  
ritualia jura, sed tantum administrant bona, *Garc.*  
à n. 196. *Castrop.* n. 22.; qui excipit, nisi patrona-  
tus competeret filio ob bona adventitia, quorum  
usumfructum habet pater. Vide *Leur.* q. 71. & 72.

§. XXI. Femina capax est juris patronatus; Cap. 350  
*ult. de concess. præb.* Hinc ad eam transit, si sit hære-  
ditarium vel pro consanguineis, *Garc.* à n. 144.  
Quando competit uxori, si sit personale aut reale ra-  
tione paraphernalium vel propriorum, non compe-  
tit marito; si sit reale ratione bonorum, quæ æsti-  
mata & velut empta, sint data in dotem, competit  
marito, *Castrop.* à n. 27. vide *Leur.* q. 73.

§. XXII. Illegitimus tam spurius quam natu- 351  
ralis

ralis capax est juris patronatûs : item irregularis, cum non fit beneficium nec requirat Clericatum, *Az. Castrop. n. 24. Leur. q. 74.* Excommunicatus major non amittit illud ; imò potest Episcopus consentire, ut, si sit toleratus, etiam acquirat, v. g. ædificando Ecclesiam, sed prohibetur illius usus, donec absolvatur, si tamen præsentet, potest Episcopus admittere, quamvis non teneatur, *Suar. Pirb.* Quòd si sit vitandus, invalidè præsentat, saltem si sit Ecclesiasticus, *Barb. de jure Eccl. l. 3. c. 12. n. 162.* Putantque *Turr. & Hurt.* idem esse, quamvis esset laicus, quia debet conferre jus ad rem, ergo debet habere jurisdictionem aliquam, quâ privatus est excommunicatus vitandus; sed *Covarr. Villal. Corneio, Diana p. 5. t. 9. R. 105.* dicunt validè præsentare, quamvis admittere non debeat Episcopus, ne communicet cum illo : si tamen non fit in culpabili mora petendæ absolutionis, tempus ei non currit. Vide *Leur. q. 75.*

352 §. XXIII. Quamvis alicui re ipsa non competat jus patronatûs, si tamen bonâ fide possideat, potest, etiam post motam litem circa petitorium, præsentare, *Abb. Az. Castrop. n. 25.* Et postea, quando apparet non habuisse jus, non potest annullari institutio, *Abb. Laym. Garc. c. 5. n. 4. & 45. Castrop. Corr. l. 1. c. 6. n. 360. Pirb. n. 76. & 83. Leur. q. 76.* Si tamen defectus innotescat ante institutionem, hæc fieri non debet, *Castrop. p. 28. n. 2.* , dixerat tamen p. 4. n. 26. cum *Lop. & aliis*, si post præsentationem possessio fiat solummodo dubia, probabile esse, quòd institutio fieri possit, eò quòd videatur prævalere bonum Ecclesiæ nolentis beneficia diu vacare. E contra si adfit mala fides, invalidè præsentat, *Cap. Consultationibus, 19. de Jurep.* Tenent autem dicta de possessore bonæ fidei, licet nunquam antè præ-

sentat

sentarit, quia sufficit quasi possessio defuncti antecessoris absque nova apprehensione seu exercitio, *Garc. n. 9. & 37. Corr. c. 4. n. 19.*, quamvis n. 17. cum *Luca* in summa jurispr. n. 85. dicat hæredem non esse in possessione præsentandi, si ipsemet nunquam præsentarit, nisi juspatronatus esset annexum officio, tum enim possessio transit in successorem, *Leur. q. 58.*

§. XXIV. Quomodo contra Ecclesiam aut alium Patronum probari possit jus patronatus aut possessio præsentandi tam Communitatum quam Potentium & Privatorum, videri potest *Trid. Sef. 25. c. 9. de Ref. Barb. de pot. Epif. all. 72. Castrop. d. 2. p. 3. Lott. q. 7. & seqq. Leur. q. 78. & seqq.* Quomodo autem Patronus non debeat se immiscere in res temporales Ecclesiæ usurpandas vel curandas, nec aliquid temporale exigere ab Ecclesia vel præsentatis, vide *Leur. q. 95. 100. 101.* Quid verò possit circa instituendos vel destituendos Ministros Ecclesiæ, item circa electiones Prælatorum, explicat *Leur. q. 96. & 97.*

§. XXV. Jus patronatus contra Ecclesiam, quæ secundum propriam institutionem deberet esse libera, præscribitur tempore immemoriali, si allegari possit titulus: putant quidem aliqui non esse opus, ut tanto tempore possidens alleget titulum, quia ipsa tanti temporis continuata possessio non tantum inducit præsumptionem tituli vel accepti privilegii, sed reipsa videtur jus tribuere, uti tenent *Gl. Abb. Covarr. Mol. de just. d. 75. n. 8. Laym. l. 3. t. 1. c. 8. n. 14. & 15. Haun. de just. T. 2. t. 5. c. 2. contro. 4. n. 319.*, & diximus l. 3. p. 2. n. 543., verum quoad jus patronatus, jus positivum *Trid. Sef. 25. c. 9.* videtur obstare, ubi expressè statuit, *ut titulus juris patronatus sit ex fundatione vel dotatione, qui ex authentico documento & aliis jure requisitis ostendatur,*

tur, sive etiam ex multiplicatis presentationibus per antiquissimum cursum, qui hominum memoriam excedat, aliasve secundum juris dispositionem; in iis vero personis seu Communitatibus vel Vniversitatibus, in quibus id jus plerumque ex usurpatione potius quæsitum præsumi solet, plenior & exactior probatio ad docendum titulum requiratur, nec immemorialis temporis probatio aliter eis suffragetur, quàm si præter reliqua ad eadem necessaria, presentationes etiam continuatæ non minori saltem, quàm quinquaginta annorum spatio, quæ omnes effectum sortita sint, authenticis scripturis probentur. Et propterea docent *Castrop.* p. 2. à n. 12. *Lott. Leur.* q. 47 solam probationem immemoriam hinc non sufficere.

355 §. XXVI. Consensus Patroni ex honestate tantum requiritur ad alienationem dotis Ecclesiæ: & quamvis requiri debeat, tamen si renuat, potest ob magnum bonum Ecclesiæ eo invito fieri aliqua mutatio vel imminutio beneficii: non potest tamen beneficiatus ob crimen privatus restitui beneficio sine nova presentatione Patroni; nec Ecclesia patronata erigi in Collegiatam; nec beneficium patronatum uniri cum amissione juris præsentandi. Vide *Leur.* q. 108.

356 §. XXVII. Episcopus invalidè instituit aliquem independentem à voluntate Patroni, nisi hic rescienſenseatur velle cedere juri suo, *Castrop.* p. 9. n. 5. *Barb.* de jure Eccl. l. 3. c. 12. n. 163. *Lott.* q. 14. à n. 62. *Leur.* q. 109. & 181. Qualis autem requiratur Patronorum consensus, si plures præsentent, dictum est à n. 311, & n. 364. dicitur, quid possit instituens, si plures æqualibus votis præsententur. Debet autem Patronis relinquere libertas præsentandi, quem volent, & qui ideo ipsis aut consanguineis inferunt molestias, quia  
hunc

hunc vel illum non præsentarint, ipso facto incur-  
runt excommunicationem, Cap. *sciunt*, de elect. in  
6. *Laym.* ad dictum Cap. *Leur.* q. 110.

§. XXVIII. Papa posset validè sine causa, & cum cau- 357  
salicitè derogare juri patronatùs, etiam laicali, ac be-  
neficia conferre, cui vellet, invitis Patronis, quia con-  
cessit liberè, non abdicando jus contraveniendi, *Ca-*  
*strop* p. 10. & 13., maximè cum cōcesserit principaliter  
ob bonum Ecclesiæ: id tamen ordinariè non facit,  
ne deterreat à foundationibus, imò in resignationibus  
& permutationibus vult adjici, *de consensu Patroni*;  
facit tamen tum, si beneficium vacet in Curia, aut Pa-  
troni impediatur præsentare ob litem in Curia.  
Nuntius Apostolicus non potest derogare juri patro-  
natùs laicali, quod ex foundatione vel dotatione com-  
petit, sed tantùm ecclesiastico vel illi laicali, quod  
competit per præscriptionem vel ex mero privilegio.  
Episcopus nec ecclesiastico nec laicali derogare po-  
test. Vide *Leur.* q. 112. 113. Quid autem requiratur, ut  
Papa censeatur velle derogare juri patronatùs, ex-  
plicat *Leur.* q. 119. Vide dicenda à n. 469.

§. XXIX. Jus patronatùs cessat, 1. per remissio- 358  
nem hujus juris. 2. Extinctâ familiâ, cui erat affi-  
xum. 3. Si Ecclesia penitus destruatursine spe reædi-  
ficationis. 4. Si patronus consentiat, ut beneficium  
uniatur Monasterio. 5. Per sententiam, in pœnam  
delicti. 6. Per præscriptionem. 7. Si Patronus la-  
batur in hæresin. 8. Per occisionem vel mutilatio-  
nem Clerici Ecclesiæ patronatæ. 9. Per Simoniam in  
cessione ejus commissam. 10. Si patronus se ingerat  
in perceptionem fructuum aut usurpet bona bene-  
ficii. 11. Si ingratus sit Ecclesiæ. 12. Per non usum  
longi temporis. Vide *Leur.* q. 120.

Q. 54. *Quid addendum sit circa institutionem.* 359  
R. Seqq.

§. I. Institutio alia dicitur *collatoria* tituli, per quam datur jus in beneficio, potestque fieri ab inferiore, quàm sit Episcopus; alia *auctorizabilis*, quæ respondet beneficio curato & fit ab Episcopo vel ejus Vicario, per quam simul datur jurisdictio fori pœnitentialis & auctoritas exercendi curam animarum, *Leur.* p. 2. q. 7. Potest tamen etiam quandoque fieri, v. g. ab Abbate vel Monasterio aliquo ex concessione Papæ vel Episcopi, *Lott.* l. 2. q. 12. à n. 6. *Leur.* q. 718. Item alia est *verbalis*, per quam voce vel scripto confertur jus beneficii; alia *realis*, per quam fit inductio in possessionem: neque ad institutionem opus est scripturâ aut aliâ ceremoniâ, quamvis expediat scripto fieri, etiam interventu Notarii & duorum testium. Quod si duo sint instituentes, debent ambo subscribere, *Corr.* Si ei addatur v. g. impositio bireti, erit simul investitura, *Leur.* q. 186.

360 §. II. Nemo potest seipsum instituere: & de jure communi spectat ad Episcopum præsentatos instituere in omnibus beneficiis suæ Diœcesis, Cap. *Ex frequentibus*, de Instit. Nec opus est esse consecratum, cum non sit actus Ordinis, *Lott.* q. 2. n. 9. Sede vacante spectat ad Capitulum, *Corr.*, Si tamen sint plures præsentati, potestas hæc gratificandi viderur reservata Episcopo successori per Cap. *Cum autem*, de Jurep., *Lott.* n. 34. Potest etiam Vicarius Episcopi instituere, quia ratione officii generatim commissi potest expedire ea, quæ sunt justitiæ & necessitatis, *Az. Laym* ad Cap. *Cum in generali*, de off. Vicar. n. 9. *Garc.* p. 5. c. 8. à n. 84., afferens idem, quamvis in concursu plurium præsentatorum esset locus gratificationi: & idem est de Vicario Capituli Sede vacante, *Garc.* c. 7. n. 28. nisi Capitulum sibi reservarit.

§. III



§. III. Etiam aliis Ecclesiasticis competere potest institutio ex fundatione, donatione, privilegio, præscriptione, consuetudine, statuto &c. *Az.* p. 1. l. 5. c. 19. *Corr.* l. 4. c. 7. n. 2. *Lott.* q. 12. *Barb.* de off. Epif. all. 72. n. 176.; Potestque etiam per fundationem vel statutum reservari Papæ, *Corr.* n. 29. & c. 3. n. 21. *Nec obstat*, quòd *Trid.* Sess. 14. c. 12. de Ref. dicat, in casu fundationis aut dotationis etiam à laico factæ institutio Episcopo & non alteri inferiori reservetur, nam intelligitur, nisi Episcopus consenserit, unde tantum vult *Trid.* non posse excludi Episcopum, si institutionem velit, cum ad eum de jure communi spectet; non negatur autem posse eum cedere juri suo, *Luca* ad *Trid.* d. II. n. 27. Et ita exponi debent *Barb.* de jure Eccl. l. 3. c. 12. n. 208. & *Corr.* c. 3. n. 27., quando dicunt nunc post *Trid.* id amplius fieri non posse, nisi Episcopus approbet fundationem aliter factam, si enim nolit sibi reservari jus instituendi, potest donare, relinquere aut veluti committere alteri personæ ecclesiasticæ, *Cap. Cùm venissent* h. t. Ac meritò debet talis fundatio admitti, tum quia non præjudicat Episcopo, cum liberè cedat, fitque illi melius sic posse cedere, si velit; tum etiam quia hoc favet fundatoribus, quia magis alliciuntur, si eorum libertati subint ejusmodi conditiones, etiam contra jus commune, uti subesse dicemus n. 808.

§. IV. Ex commissione Prælatorum possunt institui etiam Abbatissæ aut Priorissæ, *Silv.* *Az.* *Laym.* Item merè laici, sed tantum ex privilegio Apostolico, *Laym. Corr.* c. 7. n. 28., Et cum sit jus spirituale, à laico de se possideri nequit, consequenter nec præscribi, *Diana* p. 3. t. 1. R. 65. Si tamen esset possessio immemorialis, præsumi posset privilegium, ac valeret bonâ fide facta institutio, quamvis re ipsa

ab initio non fuisset jus, *Lamb. Corr. c. 4. n. II. V. de Leur. q. 169. & seqq.* In praxi autem suadetur instituto à laico, saltem post elapsum tempus instituendi, ut petat collationem à Superiore Ecclesiastico, ne fiat intrusus, *Less. in auct. v. beneficium, cas. 6.* An institutus à pluribus possit prosequi institutionem, quam voluerit, dicitur n. 437.

363 §. V. Si eidem competat præsentatio & institutio, prius fieri deberet præsentatio, postea institutio, nisi utraque conveniret ex diverso jure, uti pluribus explicant *Corr. c. 7. à n. 20. & Leur. q. 184.* Et quaecumque sit beneficium, debent instituendi prius ab Ordinariis examinari, an idonei sint, *Cap. Ex frequentibus h. t. Trid. Ses. 7. c. 13. de Ref. Garc. p. 9. c. 3. n. 5.* Quòd maximè valet de beneficio curato; *Trid. Ses. 24. c. 18.* sed circa simplicia non est ubique praxis. Vide dicenda n. 385. Quoad curata autem etiam prærequiritur approbatio, *Azor suprâ, Laym. ad Cap. Cum satis, de off. Archid. Leur. q. 185.*

364 §. VI. Instituens potest gratificari, quando duo ab eodem præsentati sunt æquè digni, *Cap. Cum autem, de Jurep. Idem dicunt Less. l. 2. c. 34. n. 33. Castrop. t. 13. d. 2. p. 9. n. 1. Corr. l. 4. c. 6. n. 56. Lott. l. 2. q. 51. n. 47.*, si quis æquali numero suffragiorum sit præsentatus à pluribus, sed contradicit *Pirb. de Jurep. n. 100.*, nisi singuli jurassent se non præsentaturos alium, quia neutra præsentatio videtur esse valida, cum neutra sit à majori numero Patronorum; in eo autem casu licere Episcopo instituere tertium non præsentatum, docent *Silv. Az. Vasq.*, quorum sententiam *Less.* putat probabilem, sed probabilius contradicunt alii cum *Castrop. n. 4. & Pirb.* docentes esse monendos, ut intra terminum præfixum magis consentiant in unum; si autem stent prioribus votis, potest Episcopus gratificari uni; imò po-

rest

rest instituire tertium si neutrum ex præsentatis possit præligere absque atroci scandalo facti, *Lott. q. 6. n. 27. Vide Leur. q. 193. & 194.*

§. VII. Si præsentetur habens beneficium incompatible cum eo, ad quod præsentatur, institui non potest, nisi dimiserit, aut à S. Sede sit dispensatus, *Corr. n. 28. Leur. q. 196.* Intellige, si cogitaret cum primo retinere secundum, nam si intendat dimittere ob vacationem primi per obtentionem secundi, nil obstat, cur institui non possit.

§. VIII. Institutionis executio suspenditur, si processum sit & appellatum judicialiter, *Lott. Leur. q. 180.* Est autem irrita, si fiat incio aut invito Patrono, secundum dicta n. 356. De cætero potest institutio fieri extra diocesin vel territorium instituentis, cum sit actus voluntarius & extrajudicialis, *Garc. Gonz. Castrop. Leur. q. 183.* Et ideo etiam fieri potest diebus festivis, *Lott. Leur. q. 190.*

§. IX. Jus commune nullum præfixit tempus ad instituendum, *Abb. Corr. c. 7. n. II. Lott. q. 13. n. 59.* Semestre videtur concedere *Castrop. p. 5. n. 2.*, quamvis alii dicant statim debere fieri, est enim debita, si constet, 1. de vacatione beneficii. 2. de existencia juris patronatus: 3. de habilitate præsentati: 4. de præsentatione facta in tempore. Debetque horum examen præmitti ac sub pœna nullitatis publicari edictum, ubi id moris est, quo citentur omnes, quorum interest, assignato termino peremptorio, *Corr. c. 3. à n. 28. Lott. à n. 19. & 57. Garc. p. 9. c. 4. à n. I.* Quod si hæc nimium differantur, non ideo potest præsentatus se ingerere in beneficium, uti n. 368. dicetur, sed debet conqueri apud Superiorem, qui poterit præfigere terminum, quem si ille monitus negligat, poterit hic instituere, *Lott. à n. 65. Corr. n. 12. Vide Leur. q. 177.* Notant autem *Garc. & Cas*

& *Castrop.* d. 3. p. 5. n. 8. id non fieri vi devolutionis, sed ut tollatur impedimentum. Addit *Castrop.* p. 4. n. 10. fieri non debere institutionem durante tempore concessio ad præsentandum, tum quia laicus interea potest variare, tum maximè quia posset alius interea prætere & probare jus præsentandi. Vide *Leur.* q. 189. Nec fieri debet ante elapsum terminum edicti, ubi consuetudo est illud publicandi, idque sub poena nullitatis: quòd si præmissio edicto fiat institutio etiam per Patronum putatitium, sustineri debet, *Garc. Corr. Lott. Leur.* q. 192. Potest autem fieri institutio etiam post obitum præsentantis, *Vivian. Corr. Leur.* q. 190.

368 §. X. Si præsentatus se in administrationem ingerat ante institutionem, docent *Maresch. Mant. Lott. A. Tamb. Corr.* c. 7. à n. 13 illum privati omni jure quæsito & incidere in poenas statutas *Cap. Avaritia*, de Elect. in 6. Admittunt hoc *Gemin. & Pirh.* de præsentato ad dignitatem: sed de omnibus negat *Passer.*, quia lex loquitur de electo, poenalia autem non sunt extendenda. Vide *Leur.* q. 430. n. 6.

369 Q. 55. Quid circa collationem sit addendum. R. Seqq.

§. I. Episcopus est inter collatores ordinarios primus, utpote cui de jure communi competit conferre omnia beneficia suæ diocesis, *Cap. Omnes basilica*, *Cap. Nullus omnino*, 16. q. 7., *Cap. Conquerente* 16. de off. Jud. ordin., *Cap. Ex frequentibus*, de Instit. Potestque hoc facere Episcopus ante suam installationem vel inductionem in possessionem, si non sit provisus à Papa: non potest tamen alteri, quam Vicario suo generali committere potestatem conferendi, *Rebuff. Covarr. Garc.* p. 5. c. 8. n. 119. Vide *Leur.* p. 2. q. 664.

370 §. II. Ordinarius collator hic vocatur, quisquis jure

jure proprio beneficium confert, sive sit Episcopus sive non; sive jus illud habeat à jure communi, sive ex consuetudine, præscriptione vel privilegio, Cap. *Ordinarii*, de off. Ordin. in 6., *Castrop.* t. 13. d. 2. p. 27. n. 1. *Luca* de benef. d. 31. n. 15.

§. III. Merè laici sunt incapaces conferendi beneficia, Cap. *si quis deinceps*, Cap. *per laicos*, Cap. *laicis*, Cap. *laici*, 16. q. 7.; ita ut nequidem per consuetudinem immemoriam vel præscriptionem obtinere possint: quia qui jus non potest possidere, etiam non potest præscribere, Reg. 3. juris in 6., laici autem jus illud spirituale possidere non possunt: possunt tamen laici, etiam fœminæ, obtinere jus conferendi per privilegium Papæ, quod præsumetur in probatione temporis immemorialis, sed tum non tam ipsi conferent, quàm Papa vel Episcopus ad eorum nominationem: non tamen ideo habent jus petendi remotionem à beneficio. Vide *Leur.* q. 726.

§. IV. Excommunicatus non toleratus conferre non potest, Cap. un., *ne Sede vacante*, in 6. *Castrop.* n. 12. *Lott.* 1. 2. q. 41. n. 15. & 22. Toleratus, quamvis sit notorius, validè confert, *Extrav. Martini V. Ad evitanda*, *Covarr. Suar. Sayr. Gom. Leur.* q. 728. contra *Garc.* c. 4. n. 313. Putat tamen *Luca* d. 23. n. 22., quòd censura suspensionis, quamvis sit minor, tollat vel impediatur jus conferendi.

§. V. Capax juris conferendi, si bonâ fide sit in possessione, confert validè & licitè, quamvis fortè careat jure, Cap. *Cum ecclesia sutrina*, Cap. *Cum olim*, de caus. poss. & propr., *Garc. Castrop. Lott.* q. 45. n. 2. Quod tenet, etiamsi alius antea fuisset in possessione, dummodo ipse ultimò possideat, *Lott.* q. 34. à n. 26. Item si sit in possessione rei, cui jus conferendi est annexum, licèt nunquam contulerit, *Castrop.*

*Castrop.* p. 28. n. 1. *Garc.* c. 5. à n. 9. Item si sit hæres vel successor in eo, propter quod antecessor possedit jus conferendi, *Castrop. Garc.* n. 33. & 37. Et hæc tenent, etiam si jam sit contra ipsum mota lis circa proprietatem; Si tamen sit mota super possessione, expectandus est eventus litis, *Garc. Castrop.* Quòd si constaret de proprietate ad alterum pertinente, possidens conferre non posset, *Menoch. Dec. Gutt. Lamb. Covar. Garc. Castrop.* n. 2. Si tamen collatio jam facta esset, antequam constaret, quamvis provisus necdum cepisset possessionem, privari non posset, quia per collationem acquisitum fuisset jus perpetuum in beneficio, *Garc. Castrop. Lott.* contra *Gabr.* Vide *Leur.* q. 729. Dixi, capax juris conferendi, nam si jus resistat, uti resistit laico, non sufficit talis quasi possessio, sed exigitur titulus, *Lott.* q. 45. n. 17. & 27. *Leur.* q. 730.

374 §. VI. Possessio conferendi acquiritur per unicum actum, quo quis tanquam Ordinarius ultimò contulit beneficium, *Paris. Gutt. Zech. Covarr. Castrop. Lott.* Nec obstat, si Papa postremus contulerit, quia non interrupt, sed tantum fecit dormire possessionem, *Garc. Leur.* q. 731. Ut tamen ita acquiratur possessio, debet in conferente esse bona fides, in adversario scientia & patientia, in proviso deductio ad effectum, ut nempe vi illius collationis acceperit possessionem beneficii & percipiat fructus, *Covarr. Gutt. Roch. Rebuff. Lamb. Covar. Garc.* Quòd si jus resistat, uti resistit laico, non semper potest præsumi bona fides, nisi adsit titulus vel ratio probabilis, *Garc.* & alii plurimi. Si autem collatio vel obtentio beneficii sit data cum clausula præservativa, *salvo jure cujuscumque*, aut si provisus mansit in beneficio per compositionem litis, conferens non acquisivit usum aut possessionem conferendi, *Garc.*

Vide

Vide *Leur.* q. 732. Quomodo probetur jus conferendi, examinat q. 735.; quomodo autem collatori remaneat jus, licet hoc beneficium applicetur dotationi alterius, explicat q. 736.

Quod si plures habeant simultaneam collationem, dividere possunt per turnos vel menses, *Leur.* q. 697. & seqq.; ubi etiam discutit, quomodo quis excludi aut stabiliri possit in simultanea collatione. Si autem ex pluribus, qui habent jus simultaneum, aliqui fiant inhabiles aut impediuntur, totum jus habent reliqui, etiamsi esset unicus de integro Capitulo, *Luca, Leur.* q. 724. 375

§. VII. Si quis à Superiore constitutus per errorem communem reputetur esse verus Prælatus, ad cuius officium pertinet conferre, quamvis re ipsa non sit, quia v. g. ab initio fuit inhabilis, valet ejus collatio, & Ecclesia supplet ob utilitatem publicam, arg. *L. Barbarius ff. de off. prætoris, Cap. Infamis 3. q. 7. & AA. communiter cum Leur.* q. 725. Putant quidem *Abb. Inn. Fel.* & alii id tum tantum verum esse, si quis ratione officii publici sibi commissi sit collator, sed hanc limitationem improbant *Sanch. Pontius, Castrop.* & alii, quia etiam homo privatus confert nomine Ecclesiæ & pro bono publico. Vide *Leur.* q. 725. 376

§. VIII. Nemo potest, nequidem per substitutum, sibi ipsi conferre beneficium, uti à pari dictum est de præsentatione à n. 326. Hinc si Vicarius ab Episcopo habeat potestatem conferendi beneficia, non potest conferre Episcopo, *Az. Rebuff. Garc. Castrop. Leur.* q. 693. Similiter substitutus à Vicario non posset conferre Episcopo aut Vicario, *Castrop.* Si tamen Episcopus Vicario commisisset collationes cum potestate substituendi Pro-Vicarium his verbis, *quem nos Pro-Vicarium, nunc prout ex tunc,* 377

runc, cum eadem potestate substituiamus, hic Pro-  
Vicarius non posset quidem Episcopo, attamen pos-  
set Vicario conferre, *Garc. Castrop. Leur. q. 694.*

378 §. IX. Beneficium non potest provideri ante-  
quam vacet, uti dicitur à n. 461. Collatio autem  
spectans ad Ordinarium collatorem debet fieri intra  
sex menses à die vacationis cognitæ aut juris ad con-  
ferendum acquisiti, *Cap. Nulla ecclesiastica, De  
concess. præb., Leur. q. 789.* Si autem collatio Pa-  
rochiæ sit reservata Papæ, vel competat alteri quàm  
Episcopo, examen & præsentatio magis idonei fieri  
debet intra quatuor menses, uti statuit *Pius V.* apud  
*Castrop. d. 3. p. 5. n. 5.* De collatione beneficii resig-  
nati in manus Ordinarii, dicitur n. 1030.

379 §. X. Tempus non currit impedito, uti dictum  
est n. 308. Quòd si impedimentum intervenerit, v.  
g. post tres menses, à tempore sublatis impedimenti,  
indulgetur iterum semestre integrum; uti & à tem-  
pore, quo collatio non est acceptata, aut providen-  
dus moritur, *Az. Lott. Leur., q. 790.* Quomodo  
autem aliquando valeat collatio, si fiat post elapsum  
tempus, dicitur n. 568.

380 §. XI. Collatio beneficii debet esse, 1. pura. 2.  
certa. 3. facta in perpetuum. 4. sine diminutione.  
5. gratis. 6. liberè, uti jam declarabitur.

1. Debet esse *pura*, id est, non conditionata: si  
tamen fiat sub conditione, quæ jure inest, v. g. *si be-  
neficium vacet, si sis aptus &c.*, non vitiatur, quia  
hæ conditiones semper imbibuntur, ergo non ob-  
sunt, licet exprima itur, *Castrop. p. I. n. 4.* Non de-  
bent tamen aliter apponi, quàm insint, unde non va-  
let, confero Parochiam, *si intra annum fias sacerdos*,  
nam sic suspenditur collatio, debet autem absolute  
conferri, cum obligatione, ut intra annum fiat sacer-  
dos, *Garc. p. 8. c. 2. n. 12.* Quòd si addatur conditio



de presenti aut præterito non spectans ad fundationem beneficii, v. g. confero, *si es consanguineus Timi, si studuisti Canonibus, Castrop. n. 7.* putat collationem esse invalidam, quia cum conferens nesciat, an ista conditio existat, videtur voluntas ejus & collatio suspendi: *Passer. & Garc. n. 9.* probabilius dicunt valere, si conditio reipsa existat, quia voluntas reipsa est tum absoluta. Vide *Leur. q. 769.*

2. Debet esse certa; hinc collatio incerta & non 381  
determinata ad unam personam, est invalida, uti, *confero Petro vel Paulo; Petro & Paulo; uni ex tuis filiis &c.* quia unus tantum potest habere jus plenum beneficii, *Az. Laym. Castrop. Leur. q. 772.*

3. In perpetuum, nam solus Papa potest benefici- 382  
um conferre ad tempus, *Cap. Si gratiosè, de rescriptis in 6.,* beneficia enim sunt de se perpetua, uti dictum est n. 215. & 222. Vide *Leur. q. 774.*

4. Absque omni diminutione, uti explicabitur 383  
à n. 668.

5. Gratis, ideo enim dicitur concessio gratiæ: & si fiat pro pretio, præmio vel mercede, committitur Simonia, *Cap. si quis objecerit, Cap. Salvator 1. q. 3., Cap. Quam pio, 1. q. 2.* Et satis constat ex dictis l. 3. p. 1. à n. 69.

6. Liberè: si enim sit coacta, id est, extorta per 384  
vim vel metum, est nulla; uti & tum, si sit subreptitia & per fraudem obtenta. Vide *Garc. p. 8. c. 3 & Leur. q. 775.* An possit esse clandestinata, vel quomodo requiratur, ut etiam in foro externo probari possit, vide *Leur. q. 773.*

§. XII. Collatio beneficii simplicis ordinariè 385  
non prærequirit examen, si notum sit petentem esse sufficienter litteratum, *Gonz. Lamb. Felin. Castrop.* Vide *Leur. q. 778. & dicta n. 363.*

§. XIII. Si fundatio requirat, ut collatio fiat cum 386  
N consilio,

consilio, hoc audiri debet, aliàs collatio est nulla, Cap. *Cum in veteri*, De elect., *Abb. Gonz. Lott.* vide *Leur.* q. 779., ubi plures affert distinctiones & limitationes; & inter alia notat aliquos putare, si dicatur, ut conferat *cum consilio*, hoc non necessariò esse sequendum, secus si dicatur, ut conferat *de vel ex consilio* alterius; quamvis alii etiam hoc negent: admittit tamen *Gonz.* esse sequendum, si dicatur, ut conferat *juxta vel secundum consilium* alterius.

387

§. XIV. Si fundatio præterea requirat, ut collatio fiat cum consensu Titii, sine hoc facta erit nulla; quòd si consilium dederit, hoc ipso consensit; & si consensit, etiam censetur consilium dedisse, *Oldrad. Gonz.* Et sufficit, regulariter loquendo, si consensus saltem sequatur intra tempus conferendi, *Abb. Tirrag. Lamb. Paris. Gonz.* Vide *Leur.* q. 780. Si fundatio tantùm requirat interventum Titii, satis est esse ad hoc vocatum, corpore præsentem assistere, & intelligere, quid agatur, quamvis collationem improbet; & tum se habet res, uti quando Parochus debet interesse contractui matrimonii, *Masc. Menoch. Gonz.* Vide *Leur.* q. 781. Si autem fundatio requisiverit scientiam Titii, satis est, si collator priùs illi notificet, quòd velit tali conferre, nec requiritur ejus consilium, consensus aut præsentia, *Bald. Felin. Gonz. Leur.* q. 782. Denique si dicatur fieri debere ad supplicationem Titii, hæc expectari debet, quamvis non necessariò fit illi obsequendum, cum supplicatio fiat ob gratiam obtinendam, *Lancell. Marant. Gonz. Leur.* q. 783.

388

§. XV. Collatio facta ab inferiore, quàm sit Papa, non requirit certam formam verborum vel scripturam; imò potest fieri nutu, dummodo exprimatur voluntas conferentis, *Lamb. Silv. Corr. Lott. Leur.* q. 785. Provisio tamen Papalis requirit

rit pro sui forma signaturam Papæ, & pro sui exequibilitate etiam rescriptum, saltem de mandato Papæ. Vide *Leur. q. 786.*

§. XVI. Collatio non dicitur perfecta, nec beneficium absolutè provisum, nisi collatio sit acceptata, *Covarr. Gonz. Lott. l. 3. q. 1. à n. 20.* Revocari tamen non potest, quamvis acceptata non sit, *Cap. si tibi absenti, de præb. in 6.,* Nec est paritas cum promissione, donatione vel aliis contractibus, secundùm dicta *l. 3. p. 2. à n. 767.* Probatum autem acceptatio verbis, factis, signis aut aliis conjecturis, de quibus *Lott. à n. 27.* Quòd si nominatus semel renunciarit, sed pœnitentiâ ductus iterum acceptet, antequam collator mutet voluntatem, valet acceptatio, *Laym.* Potestque acceptatio fieri etiam per procuratorem vel mandatarium, etiam laicum à te constitutum, quamdiu non revocasti. Vide *Leur. q. 794. & seqq.*

An aliquis possit prosequi plures collationes sibi factas, dicitur *n. 437.*

Q. 56. *Quid circa electionem sit addendum.* 390

R. *Seqq.*

§. I. Electiones jure communi spectant ad Collegium seu Capitulum, in quo præficiendus est aliquis, *Cap. Congregatio, 16. q. 7.* Et soli illi habent votum, qui sunt capitulares seu emancipati, ideoque dicuntur vocales. Ad tale autem Capitulum primò constituendum requiruntur saltem tres, *L. Neratius 35. ff. de verb. signif.;* & ad illud conservandum duo; ad jura autem illius conservanda sufficit etiam unus, hinc talis poterit eligere vel postulare, uti poterat totum Capitulum, *L. sicut, ff. quod cujusque univers. nomine, Laym. ad Cap. 1. de Elect. aliique cum Leur. p. 2. q. 233. & seqq.* Notant autem *Nicol. t. 1. §. 6. & Luca de Canonicis d. 26. n. 5.,* ele-

N 2

ctiones

ctiones Canonorum aut etiam Decanorum in Capitulis, in rigore non esse electiones, sed potius nominationes vel collationes, adeoque non esse invalidas, licet non serventur omnes apices Juris pro electionibus statuti.

391 §. II. Electio fieri non potest sponso necdum mortuo: Nec prius valet tractatus definitivus de hoc vel illo eligendo, Cap. *bona*. 35. de Elect., sed electio talis foret irritanda, *Abb. Pass.* c. 13. à n. 9. *Leur.* q. 324. Moritur autem sponsus non tantum naturaliter sed etiam moraliter, nempe per translationem, cessionem, depositionem, Cap. *Inter corporalia*, de transl. Episc., *Pass. Leur.* q. 325. Licet autem electio fieret ante sepulturam defuncti, non ideo esset cassanda, *Gl. Abb. Barb. Tamb. Lavor. Mirand. Biac.*, *Pass. Leur.* q. 327. contra *Hoff. Maj. Garc. Rodriq.*

392 §. III. Electio fieri potest, 1. per scrutinium secretum (quem modum tenentur servare Regulares, *Trid. Sess.* 25. c. 6. de Regul.) in quo tres assumuntur de Capitularibus, non surdi nec cæci, sive electio fiat ad aurem sive per schedas: nec opus addere Notarium & testes, quamvis fieri possit, Vide *Leur.* q. 334. & seqq., ubi à q. 353. explicat, quomodo manifestatio voti fieri possit per sortes, per calculos aut fabas: Item à q. 357., an votum possit esse disjunctivum, conditionatum, inutile, mutabile &c. Item à q. 367. quid faciendum sit post completum scrutinium, quomodo sit aperiendum, quomodo facienda communis electio ac publicanda. 2. Per compromissum, si electores communi planè consensu aliis Clericis idoneis committant, ut eligant, quem judicaverint aptiorem. Vide *Leur.* q. 393. & seqq. 3. Per communem inspirationem, nemine non consentiente in eandem personam. Vide *Leur.* q. 407. & seqq.

& seqq. Notandum tamen electionem tunc dici factam simpliciter per inspirationem, si Deus per aliquod signum externum certò cognoscatur esse illius author, ideoque fiat non servatâ formâ vel ordine: è contrâ si tale signum externum desit, quamvis non servetur accuratè forma, & omnes etiam subito conspirent, *Lott* dicit esse tantùm quasi per inspirationem. Vide *Leur* q. 418. n. 5.

§. IV. Quamvis in præsentatione Patronorum 393  
sufficiat majoritas votorum respectivè ad personas, secundùm dicta n. 312., tamen in electione requiritur majoritas absolutè seu respectivè ad totum Capitulum, ita ut si in Capitulo sint duodecim, debeat validdè electus habere plura, quàm sex vota, *Cap. Ecclesia vestra*, 48., *Cap. Cumana*, *Cap. In genesi* h. t., & cum *Gl. Engel* l. 1. t. 6. n. 37. *Sanig.* l. 1. t. 6. n. 9. aliique. Dicit quidem *Zyp.* apud *Engel* consuetudinem passim esse contrariam, fateturque *Laym.* l. 4. T. 2. c. 12. n. 6. etiam attendendam esse consuetudinem, sed quamdiu illa alicubi non probatur esse contraria, standum est jure communi.

§. V. Ille censetur nominatus à majore parte, qui 394  
etiam dimidio tantùm voto excedit medietatem, v. g. si vocales sint novem, qui nominatus est à quinque, *Abb. Butr. Sigism. Pass.* c. 19. n. 18., ubi ait in suo Ordine Prædicatorum, in quo requiruntur duo vota supra medietatem, sufficere, si à novem aliquis habeat sex. Plura de suffragiis dicta sunt à n. 311.

§. VI. Eligere possunt, qui habent solùm possessi- 395  
onem eligendi, cum bona fide, *Cap. Cum olim* de causa possess., & *Cap. Querelam* h. t. Item extranei, qui non sunt de Capitulo, nimirum vel ex privilegio, quod etiam laicis competere potest, vel ex præscriptione, & quidem cum titulo, tempore 40. annorum, intra quod fuerit electio Superioris auctoritate

confirmata, sine titulo autem tempore immemoria-  
 li, *Leur. q. 217. n. 4. & q. 244. n. 2.* Hæc tamen  
 præscriptio aut consuetudo tantum Clericis compe-  
 tere potest, *Cap. Messana h. t.* Item eligere possunt  
 Capitulares per extraneos compromissarios, *Cap.*  
*Quia propter, h. t.;* admittere tamen non possunt  
 extraneum, nequidem Clericum, ad secum eligen-  
 dum, *Donat. Pass. & alii contra Nav. Lex. & alios;*  
 qualiter si admitterent laicum, electio esset irrita,  
*Cap. Querelam, Cap. Quisquis, Cap. Messana h. t.*  
 si tamen Laici vel alii inhabiles sint ignoranter aut si-  
 ne culpa Clericorum admissi, putant *Inn. & Fagn.*  
 ac probabile esse dicit *Pirb.*, quod valeat electio ha-  
 bilium, per *Cap. fin. de procurat.*, & quia utile per  
 inutile non vitatur, *Reg. 37. Juris in 6.*, sed contra-  
 dicunt alii cum *Laym.* in *Cap. Messana h. t.*, quia  
 pœna illa invaliditatis lata est in odium laicorum se-  
 electioni immiscentium. Vide *Leur. q. 243. & seqq.*

396 §. VII. Eligere non possunt carentes perfectio-  
 nis rationis, quales sunt pueri & amentes, *Gl. Nav.*  
*Pass. c. 10. n. 12.;* nisi hi sint in lucido intervallo,  
*Pirb. de Elect. n. 26.*, in quo præsumitur facta ele-  
 ctio, si quietè facta sit, nec sapiat stultitiam, *Covarr.*  
*Jaf. Bald. Menoch. præsump. 45. n. 66.* Nec impu-  
 beres eligere possunt, *Cap. Ex eo, h. t. in 6.*, quia  
 non censentur habere prudentiam requisitam, *Barb.*  
*de Jure Eccl. l. 1. c. 19. n. 48. Pass. n. 10.* Possunt ta-  
 men eligere cœci, uti & surdi, *Pass. n. 16.*

397 §. VIII. In Ecclesiis Cathedralibus & Collegia-  
 tis prærequiritur Subdiaconatus per *Clement. 2. V.*  
*ii, de ætate & qual.*, Item per *Frid. s. 22. c. 24. de*  
*Ref.*; satis autem est suscipi post vacationem, ante  
 actum electionis, *Pass. n. 59.*; nec opus est esse susce-  
 ptum cum ætate prærequisita, quia jura tantum præ-  
 requirunt Ordinè Sacrum, *Felin. Suar. Tamb. Sanchez.*  
*Barb.*

*Barb. Lugo* in Resp. Mor. l. 5. d. 19. *Pass.* n. 60. Si tamen malâ fide & subreptitiè esset ordinatus, excluderetur tanquam suspensus per Extrav. *Pii 11. Cum ex Sacrorum*, *Pass.* n. 61. Dispensatus autem super ætate ad Canonicatum, non ideo est dispensatus ad votum pro electione, si in Sacris non sit, *Barb. Pass.* n. 63., hinc resolvit *Lugo* supra, si quis in defectu ætatis dispensetur ad Archidiaconatum cum omnibus iuribus & pertinentiis suis, quamvis Archidiaconatui tali in debita ætate suscepto annexum esset jus ad eundi Capitulum, etiam ante susceptum subdiaconatum, non ideo erit dispensatus ad Capitulum, quia dispensatio est odiosa, uti dictum est l. 1. n. 622. 798. 839., nec debet extendi ad annexa separabilia, quoties id, super quo principaliter dispensatur, potest sortiri effectum, licet non ita plenè; aliud autem longè est habere Archidiaconatum sine ætatate, & habere vocem in Capitulo sine Ordine sacro. Vide. *Leur. q.* 254. & seqq.

§. IX. Votum datum extra Capitulum per litteras non valet; hinc si ad electionem requirantur vota unius Communitatis, debent electores in unum locum convenire, *Fagund. Sylvius* p. 1. v. *Congregatio*. Ex legitima tamen causa absens habet jus suffragii per procuratorem, *Cap. si quis iusto*, h. t. in 6., *Abb. Inn. Az. Barb. Tamb. Laym. Pass.* n. 35. *Luca* de benef. d. 3. à n. 3. Pro præsentibus etiam habentur legitime impediti in vicinia loci electionis, & ad eos mitti debent scrutatores pro audiendo voto, *Silv. Host. Az. Laym. Barb. Pass.* n. 32. In illis tamen electionibus, in quibus observari debet *Cap. Quia propter*, non potest dari suffragium per litteras, *Cap. si quis iusto*, h. t. in 6., nequidem consentiente Capitulo, *Barb. Pass.* n. 35; Unde apud Regulares non potest constitui procurator, qui designatum à principali

cipali eligat, quia à *Trid.* Ses. 25. c. 8. de Regul. jubentur secretò eligere, hìc autem deberet publicari persona à Principali designata, *Tamb. Garc.* Vide *Leur.* q. 261. & seqq.

399 §. X. Procurator debet habere condiciones requisitas ad electorem, & esse de Capitulo, *Pass.* n. 35.: posset tamen, sed non tenetur Capitulum admittere extraneum, *Abb. Barb.*; nec aliquis de Capitulo tenetur esse procurator, *Gl. Pass.* n. 43. si tamen per conjugationem nemo vellet esse, posset ob injuriam rescindi electio, *Tolos.* de Elect. c. 6. n. 9. Si sit de Capitulo & generali mandato constitutus, potest etiam mandantem eligere, habetque duo vota, quæ tamen dividere non potest, aliàs utrumque est irritum, *Cap. si quis iusto*, h. t. in 6. Nec potest sibi subdelegare alium, qui pro mandante eligat, quia committebatur industriæ ipsius, *Pirh.* n. 150. Potest etiam eligere aliâ formâ, quàm scrutinii, quia indefinite constitutus, habet totum jus mandantis. Si habet speciale mandatum de eligendo Titio, potest suo suffragio eligere alium, *Barb. Tolos. Pirh. Engel* n. 10., potestque tum sibi subdelegare alium, sed non potest uti aliâ formâ, quàm scrutinii, quia hæc sola intelligitur ipsi demandata, *Gl.* Si mandans moriatur, mandatum procuræ cessat, *Barb.* Excipiunt aliqui apud *Pass.* n. 42., nisi mors ignoretur. Possunt etiam ab eodem plures constitui procuratores, debetque admitti priùs petens; & in dubio, quis fuerit prior, quem plures Capitulares designarint, aut his æqualiter divisus, qui priore dato est constitutus, *Cap. si quis iusto*, h. t. in 6. *Pass.* n. 46. Vide *Leur.* q. 266. & seqq.

400 §. XI. Excommunicatus minor retinet jus suffragii, quia tantùm privatur participatione Sacramentorum, *Zoës.* n. 13. *Pass.* n. 86. *Pirh.* n. 28. Etiam retinet



retinet excommunicatus major, quamvis notorius. si non sit vitandus, id est, non nominatim denunciatus, nec notorius percussor Clerici, *Zoës. n. 10. Pass. n. 76. contra Inn. Castel. Donat.* Extendit Abbas etiam ad vitandum alibi, si hoc ignoretur in loco electionis: potest tamen etiam toleratus repelli per protestationem, dummodo fiat ante electionem, *Laym. Pass. à n. 71.*, & si postea constiterit electum prævaluisse vi hujus voti, electio irritari poterit, *Suar. Pass. n. 79.*; sed non toleratus & notorius nullum retinet jus suffragii, nisi essent electores Papæ, uti ad vitandum schisma statuit *Gregorius XV.* Quod si talis excommunicatus scienter admittatur ad coeligendum, electio censeri debet ipso facto irrita, *Nav. Suar. Barb. Pass. n. 65. contra Laym. & Castrop. de Cens. d. 2. p. 13. n. 13.*, dicentes esse tantum irritandam: si tamen non potuerit expelli sine gravi periculo vel scandalo, & electores protestati sint coram testibus, nec attendant ejus votum, validè eligent, *Inn. Abb. Barb. Pass. n. 68.* Denique si non certò sciatur esse vitandum, sed tantum per dubiam famam, aut si ab electoribus quidem certò sciatur esse excommunicatus, attamen necdum sit publicè denunciatus, excludi non potest, quia censetur manere in possessione juris eligendi, *Suar. Pass. à n. 70. Vide Leur. q. 269. & seqq.*

§. XII. Quæ dicta sunt de excommunicato tolerato & non tolerato, valent de similiter suspenso ab officio, *Barb. Pass. Pirb. Leur. q. 276.*, saltem si sit suspensus etiam ab usu jurisdictionis, de quo vide dicenda de Ordine, ad dub. 2. Similiter loquendum de interdicto, nam denunciatus personaliter invalidè eligit, *Az. Less. Laym. Garc. Barb. Pass. Leur. q. 277.* Irregularis ex delicto eligit validè, quia irregularitas tantum impedit exercitium Ordinis &

non usum jurisdictionis, eligere autem, quamvis quandoque prærequirat, tamen non est actus Ordinis, *Suar. Fill. Bon. Nav. Pass. Leur. q. 278.* contra *Laym. Peyr. Tamb.*; Attamen infamis infamiâ juris & per sententiam declaratus, eligit invalidè. *Gl. Suar. Az. Sanch.* Infamia facti tantum, id est, orta ex eo, quod homines malè loquentes ei causarint etiam publicam infamiam, non impedit jus eligendi, *Suar. Pass. Leur. q. 279.*

402 §. XIII. Potest quis per sententiam privari voce activâ: legitima tamen appellatio posset hinc suspendere effectum talis sententiæ, *Suar. Pass.*, uti nec tum obesset valori, si reliqui eligentes eum admittant, qui toleratus est, id est, in quem in particulari non est actu lata sententia privationis, *Mol. Sanch. Diana, Pass.* vide *Leur. q. 280.*

403 §. XIV. Eligentes non servatâ formâ sunt pro ista vice privandi potestate eligendi, *Cap. Quia propter, & Cap. Quanquam, h. t. in 6.* Clerici admittentes laicum ad coeligendum incurrunt suspensionem ferendæ sententiæ ab officiis & beneficiis per triennium, & ipso facto privationem vocis activæ, *Cap. Quisquis, h. t. Suar. Laym. Leur. q. 282.* Electus autem tali electioni consentiens fit etiam ineligibilis ad omnes & solas dignitates, *Cap. Quisquis, h. t.*, idque ipso facto, *Abb. Inn. Suar. Fagn. Laym. Pass. c. 8. n. 15.* contra *Barb. Bon.*, putantes hanc pœnam esse tantum ferendæ sententiæ: potest tamen Episcopus in hac ineligibilitate dispensare, *Abb. Inn. contra Fagn.*, quia quando Canon permittit dispensationem, si non exprimat, quis debeat, potest dispensare Episcopus, *Laym. Barb. Az. Butr. Bon. Pass. n. 26.* vide *Leur. q. 281. & seqq.*

404 §. XV. Eligentes scienter indignum, quos nempe

pe Dei timor à malo non revocat, privantur ipso facto pro ista vice potestate eligendi, & suspenduntur à beneficiis per triennium, Cap. *Cum incunctis*, Cap. *Dudum* h. t. Quod tenet de eligentibus etiam ad Prælaturas & Dignitates Episcopatu inferiores, *Abb. Pirb.*: pœna tamen suspensionis incurritur tantum ab eligentibus Episcopum indignum, Cap. *Si compromissarius*, h. t. in 6. Si ad prælaturam etiam inferiorem electus sciebatur insuper simoniam commisisse, eligens fit præterea inhabilis ad dignitatem vel beneficium aliud in illa Ecclesia obtinendum, Cap. *Per Inquisitionem*, h. t. *Abb. Pirb. Leur.* q. 284. 285. Quod si omnes scienter eligerint indignum, jus eligendi pro ea vice devolvitur ad Superiorem; si tantum aliqui, remanet apud innocentes, qui tamen, si velint, poterunt iterum admittere nocentes, quia pœna illa lata est in favorem innocentium, ideoque remittere possunt; nec videtur incurri, nisi post apertum scrutinium fuerit publicata communis electio, tum enim prius censetur esse perfecta, Cap. *Perpetuo*, 7. h. t. in 6. *Abb. Laym. Pirb. Leur.* q. 250. Vide etiam dicenda n. 443. Et notandum præterea debere eligi digniorem, uti dicetur à n. 579.

§. XVI. Eligi non potest excommunicatus, interdicitus, irregularis; & secundum *Caj. Sot. Panorm.* & alios, qui est in peccato mortali, sed *Nav. Az. Castrop.* d. 2. p. 11. §. 2. n. 3. merito intelligunt tantum de illo, qui est in peccato mortali publicè noto, qui tamen adhuc videtur validè eligi, quamvis peccari possit ratione scandali, si talis indignus præferretur aliis. An autem electio excommunicati minoris sit irrita, videri potest *Dicast.* de Cens. d. 2. dub. 6., ubi dicit esse tantum irritandam.

§. XVII. Privatus ipso jure voce passivâ, aut redditus inhabilis, adhuc eligi potest, si necdum sit privatus  
serva-

servatâ formâ iudicii post citationem, vel per sententiam, quæ transferit in iudicatum, ( seu cuius effectus non fit suspensus per appellationem ) fit declaratus reus criminis, cui privatio est annexa, *Pass.* c. 25. à n. 600., docentque AA. multi cum *Leur.* q. 288., quando agitur de privatione vocis activæ aut passivæ aut de inhabilitate aut de alia simili poena ecclesiastica, quanvis dicantur ipso jure & ante sententiam, etiam absque declaratione incurri, tamen reum non teneri in conscientia eam in se exequi ante sententiam declaratoriam criminis. Vide dicta l. 1. n. 612.

407 §. XVIII. Semel rejectus ab electione ob crimen vel infamiam, manet ineligibilis, donec ista purgentur; si autem habens confirmare rejecerit electionem nullâ datâ causâ, potius præsumendum est fuisse vitium in electione, ideoque in electum non redundat inhabilitas, *Cap. Super eo*, h. t., nisi fortè intervenisset simonia. Vide *Leur.* q. 289. & seqq.

408 §. XIX. De jure communi valet ad dignitates vel beneficia non regularia electio illius, qui non est de Capitulo aut etiam Diocesi, si fiat à majore parte, *Cap. Cum inter*, 21. h. t. *Inn. S. Th. Abb. Felin. Butr. Barb. Laym. Garc. Pass.*; potest etiam Superior, ad quem fit devolutio, conferre extraneo, *Cap. Ad decorem*, de *Instit.*, *Gl. Abb. Castrop.* si autem requiratur, ut eligendus sit aliquo loco oriundus, satis est ejus patrem inde esse oriundum, uti dictum est n. 323. Vide *Leur.* q. 293. & seqq.

409 §. XX. Invalida est electio sui ipsius, *Cap. In scripturis* §. q. 1., *Cap. fin. De Instit.* Quod tenet, quanvis quis esset dignior, & jurasset se electurum digniorem, *Silv. Pass.*; valentque hæc etiam in electione per compromissum, unus enim compromissarius non potest eligere seipsum, quanvis eligere possit

possit alium compromissarium, & hic consentire possit electioni suæ, eo modo, quo à n. 326 dictum est de præsentatione. Vide *Leur. q. 296. 401.*

§. XXI. Ut quis eligatur ad præfecturam regularem, non prærequiritur Clericatus, quia confertur tantum potestas dominativa & paterna, qualis convenit etiam scæminis, & olim competebat antiquis Monachis non Clericis, *S. Thom. Suar. Pass.*, prærequiritur tamen professio, ut præfectura obtineatur in titulum, *Cap. Cum ad nostram*, de Electione; & quidem expressa prærequiritur, *Cap. Nullus*, de Elect. in 6., & in eadem Religione, *Clement. 1. de Elect.*; quorum unum si desit, irrita est electio, *Trid. Sess. 25 c. 1. de Regul. Valentque hæc etiam de Monialibus, Cap. Indemnitatibus*, de Elect. in 6., quæ ut Abbatissæ vel Priorissæ fieri possint, debent præterea fuisse professæ per quinque annos, *Trid. c. 7. Abb. Suar. Tamb. Barb. Pass. Leur. q. 297. & seqq.*

§. XXII. Vocare ad electionem, communiter spectat ad Prælatum primæ Dignitatis, vel ad illum, qui senior est servitio aut professione, *Pass.* Debentque vocari omnes qui debent, volunt & commodè interesse possunt, *Cap. Coram & Cap. Quia propter h. t.*, *Cap. Cum in Ecclesiis*, de præb. & dignit. in 6.

§. XXIII. Illi dicuntur debere interesse, qui jus habent, aut sunt in possessione eligendi, *Cap. In Genesi & Cap. Querelam*, h. t.; non ideo tamen, qui jus habent, tenentur interesse, nisi exigat bonum commune, quia tunc potest cogi, ut muneri suo satisfaciatur, *Abb. Tamb. Barb. Pass.*, cogi tamen nemo potest ad dandum votum certò inutile, *Pass.*, quamvis teneatur quis electionem malam expressè reprobare, alioquin censetur consentire, *Rodrig. Pass.*, & nisi excuset justa causa, etiam sub veniali tenetur dare suum votum, alioquin non satisfacit

- tisfacit muneri, *Pass.* Vide *Leur.* q. 300. & seqq.
- 413 §. XXIV. Tum aliquis non potest commodè interesse, si Ecclesia vel ob moram nimiam vel alia causa ideo pateretur grave damnum, de quo judicare debet Præses electionis cum majore parte eligentium, *Pass. Barb.* Et quamvis *Cap. Coram*, 35. h. i. dicatur vocandos eos, qui sunt in Provincia, tamen cessante periculo gravis damni Ecclesiæ etiam vocandi sunt omnes extra Provinciam degentes, si intra tempus electioni statutum adesse possunt, *Abb. Tamb. Pass.* Quòd si quis renuntiavit voci suæ activæ, si renuntiationem etiam acceptatam revocet, adhuc vocandus & admittendus est, quia hoc est utile Ecclesiæ; attamen facta sine illo ante revocationem valent, *Abb. Silv. Pass.* Vide *Leur.* q. 305. & seqq.
- 414 §. XXV. Canonicus ingressus novitiatum Religionis debet secundùm multos vocari, quia saltem potest procuratorem constituere, secundùm alios non debet vocari, quia censetur longissimè absens; si tamen accesserit, rejici non poterit, *Suar. Az. Sanchez. Castrop. Leur.* q. 308. Attamen attendenda est consuetudo.
- 415 §. XXVI. Inhabiles vocandi non sunt, si actu privati sint voce, si autem sint tantùm privandi ob crimen, vel notorium, vel quod probari possit, vocari possunt, attamen vocari necesse non est, *Abb. Host. Barb. Pass. Leur.* q. 309.
- 416 §. XXVII. Vocati ad certam diem censentur vocati ad horam diei matutinam, quâ fieri solet electio *Pass. Leur.* q. 310. Si tamen major pars manè conveniens vellet priùs post prandium eligere, expectari deberet, *Pass. Leur.* q. 330. Si autem quis termino electionis necdum instante ex justa causa appellet à tali die præfinito, audiendus est, alioquin censetur contemptus: Quòd si etiam major pars nihil protesta-

stata

stata sit, sed viâ facti emanferit, potest etiam unicus præstituto tempore comparens validè eligere; è contrâ si comparuerint, & pars major noluerit istâ die eligere, suspendi debet electio, si adhuc dureret tempus eligendi à jure statutum; si autem jam exspiraret, potest sola pars minor eligere, *Pass. Leur. q. 311.*

§. XXVIII. Absentes sunt personaliter vocandi, si 417  
commodè fieri possit, *Cap. Cum olim, de dolo & contum: Si nesciatur, ubi sint, citatio facienda est ad ædes, aut si ædes non habeat, in Ecclesia aut ad valvas Ecclesiæ, ubi habitare consuevit, Cap. Venerabilis, ibid. Pass. Vide Leur. q. 312. 313.*

§. XXIX. Si quis vocandus, non sit vocatus, ha- 418  
bet jus ante confirmationem, aut si etiam de hac nihil sciverit, etiam post confirmationem agendi de contemptu: si tamen dissimulet, cassari non potest electio cæteroquin valida; si se opponat, cassari debet, *Cap. Quod sicut, h. t., Cap. fin. h. t. in 6. Abb. Barb. Quod si moriatur, potest ejus successor similiter se opponere, Bald. Laver. Pass. Nec præsumitur facta citatio, sed probari debet ab electoribus, Pass. Quod si cassetur electio, non devolvitur ad Superiorem, sed redit ad Capitulum, Pass. Vide Leur. q. 314. & seqq.*

§. XXX. Electio fieri debet in Ecclesia viduata, 419  
*Cap. Quod sicut, h. t. Potestque fieri sive in choro vel navi, sive in Sacristia vel domo Capitulari, sive in ambitu aliave parte honesta. Ex causa tamen fieri potest extra Ecclesiam: & alibi facta sine causa, secundùm Laym. & Pirb. contra multos alios, venit irritanda: & si esset electio Papæ, extra conclave foret irrita, Cap. Vbi periculum, h. t. in 6. & Constit. Greg. XV. Æterni Patris. Vide Pass. c. 12. à n. I. Leur. q. 320. & seqq.*

§. XXXI.

- 420 §. XXXI. Tempus pro eligendis Prælatibus tam sæcularibus, in Cathedrali, quàm Regularibus, de jure communi sunt tres menses, Cap. *Ne pro defensione*, h. t. Pro dignitatibus in Collegiatis vel pro aliis beneficiis, sunt sex menses, Cap. *Nulla*, de concess. præb., Cap. *Licet*, de Suppl. neglig. Prælat., *Clement. 1. tit. eod.* Et computandi sunt menses, prout occurrunt in Calendario, ac de momento ad momentum: hinc si 1. Januarii horâ 6. obierit, durat tempus usque ad horam 6. Julii, *Menoch. Mandos. Boer. Garc. Sanct. Castrop Pass. Leur. q. 328.* Potest tamen hoc tempus restringi, si major pars eligentium velit, *Abb. Pass. Leur. q. 331.*
- 421 §. XXXII. Hoc tempus incipit currere à die acquisite notitiæ vacationis, Cap. *Quia diversitatem*, de concess. præb., & Cap. *Licet*, de suppl. neglig. præl. Quod *Pass.* & *Paxiord.* dicunt esse tempus, quo haberi potuit & debuit talis notitia. Vide dicta n. 308.
- 422 §. XXXIII. Tempus non currit habentibus & probantibus suum impedimentum, etiam si per culpam inciderint in impedimentum, dummodo non sint in mora, cur per alium non tollatur, Cap. *Quia diversitatem*, de concess. præb., *Gl. Abb. Barb. Garc.* Quamvis ipsi non teneantur semper urgere, ut impedimentum tollatur, *Pass.* Vide *Leur. q. 329.* & dicta n. 308.
- 423 §. XXXIV. Si ex negligentia non sit facta electio intra tempus, provisio devolvitur immediatè ad illum Superiorem, cujus erat confirmare: si etiam hic intra tempus ordinarium negligat, devolvitur ad alium immediatum, & tandem ad Papam, Cap. *Quamquam*, h. t. in 6. *Rebuff. Laym. Pirb.* Quod si Superioris provisio fuerit reprobata, aut ab eo provisus noluerit consentire, aut post consensum renun-



renunciavit juri suo, potestas eligendi revolvitur ad ordinarios electores, habentque iterum novum tempus integrum, quia tantum privantur pro una vice, *Pass. Pirb.*: Si autem non fuerit negligentia in eligendo, sed tantum propter aliquem defectum fuerit rejecta electio, aut electus non consenserit, manet electoribus etiam novum tempus, *Cap. si electio*, h. t. in 6. *Pirb.* Vide *Leur.* q. 332.

§. XXXV. Electio non debet esse clandestina, 424  
*Cap. Quia propter*, h. t., *Leur.* q. 773. Potest tamen ex causa rationabili fieri de nocte, *Lavor. Rodrig. Mirand. Pass.*, dicentes, si de die absolvi non poterit, posse continuari in noctem, quamvis *Pirb.* dicat altero die resumendam: si autem sine causa fiat de nocte, *Laym. Pirb.* aliique communiter dicunt rescindi posse tanquam non Canonicam, quamvis contradicat *Pass.* Vide *Leur.* q. 333. Potest autem fieri etiam die festo, uti docent AA. cum *Passer. c.* 12. n. 45., quia est actus extrajudicialis: hinc post *Cajet.* docent *Bonac.* ad 3. præcept. p. 2. n. 9. & *Bass.* v. *Festum* 2. n. 14. etiam civibus licitum esse die festo convenire & eligere ad officia.

§. XXXVI. Prius post publicationem scrutinii 425  
 & communem electionem, debet, saltem intra octiduum, si commodè fieri possit, requiri consensus electi, *Cap. Cupientes*, h. t. in 6. Nec ipse prius consentire potest, quia utrumque spectat ad formam *Cap. Quia propter* h. t., *Inn. Abb. Barb. Butr. Pass.* Debet autem consentire intra mensem ab electione sibi præsentata, alioquin amittit jus quæsitum, *Gonz. Barb. Pass.* Vide *Leur.* q. 382. & seqq.

Q. 57. Quid notandum sit circa Confirmationem electionis. R. Seqq. 426

§. I. Si Capiculum habens jus eligendi & confirmandi installer electum, hæc instellatio habet vim  
 O confir-

confirmationis, *Oldr. Lott.* Similiter quandoque sola benedictio ab Episcopo data Abbati habet vim confirmationis, *Laym. Leur. p. 2. q. 413.*

427 §. II. Omnis electio inferioris, quam fit Papa, licet facta sit per unanimia & quasi per inspirationem, indiget confirmatione, quia aliàs non habetur à Superiore Ecclesiastico auctoritas & jurisdictio, *Host. Donat. Lott.* Si tamen sit facta simpliciter per inspirationem, non videtur indigere confirmatione, quæ enim Spiritu Dei aguntur, humanis legibus non subsunt, *Donat. Lott. Barb. de jure Eccl. l. I. c. 9. n. 7.*; quandonam autem censeatur facta per inspirationem, dictum est n. 392. Quod si quis post nominationem suam statim habeat jus in re & potestatem administrandi, est potius collatio quam electio. Non valere autem consuetudinem non confirmandi electum, docent *Abb. Io. Andr. Laym.* quamvis *Pirb.* dicat contrarium induci posse per consuetudinem. Vide *Leur. q. 417. & 416.*

428 §. III. Si quis sit canonicè electus, presentatus, habilis, ita ut manifestè non appareat electi indignitas, confirmari debet; neque potest electus rejici absque læsione saltem charitatis, *Lugo de Just. d. 35. n. 62.* Imò confirmatio censeatur actus justitiæ, sive debitus, *Laym. Pass. Lott. Luca.* Vide *Leur. q. 419. & seqq. Item q. 473.* Quod tenet, licet electio facta sit in discordia, dummodo sit à majore parte, *Pass. Leur. q. 467.* Potest tamen negari confirmatio, si inde oriretur scandalum vel commune damnum, *Pass. c. 33. n. 137.* A quibus autem confirmandi sunt Episcopi, Abbates, Abbatissæ &c., & an potestas confirmandi Sede vacante competat Capitulo, item ad quem spectet per jus devolutum aut ortâ lite, vel si facta sit appellatio ab electione, videri potest *Leur. q. 459. & seqq.*

§. IV. Confirmandus non est, cujus electio facta 429  
est per abusum potestatis secularis, *Laym.* Nec in-  
vitus, *Cap. Cum inter Canonicos*, de Elect. Nec qui à  
confirmatore prudenter creditur malè rectorus, *Cle-*  
*ment. Exivi*, de verb. signif. sub finem. Nec indi-  
gnus, qui si confirmetur, secundùm *Cap. Nihil 44.* de  
Elect. deiciendus est prælaturâ vel beneficio, & con-  
firmans istâ vice privatur jure confirmandi, suspen-  
ditur à perceptione fructuum sui beneficii, & si fece-  
rit per malitiam vel dolum, puniendus est graviore  
pœnâ arbitrariâ. Vide *Leur. q. 468.* & seqq. Quid  
autem facere debeat confirmator, si electus laboret  
infamiâ facti, explicat ex *Pass. Leur. q. 475.*

§. V. Causa confirmationis cognosci debet, *Cap. 430*  
*Nihil*, de Elect., & facta sine cognitione causæ est  
irrita post declarationem, *Cap. fin. de Elect. in 6.*  
*Abb. Tamb. Donat. Lavor. Pass.* Quod tenet, etiam  
quoad Regulares, *Pass. & Cap. fin.* sermo est etiam  
de confirmatione in beneficiis simplicibus, *Pass.* Vi-  
de *Leur. q. 476.* & seqq., ubi à quæstione 479. ex-  
plicat, quæ pœnæ incurrantur, si confirmator ne-  
gligat inquisitionem; item in qualia circa electum  
inquirere debeat; an inquirere debeat, etiamsi nihil  
obmoveatur, & electus sit notoriè dignus; an in-  
quisitio sit facienda judicialiter; quomodo cassanda  
sit electio; an detur appellatio vel exceptio contra  
confirmationem aut sententiam cassationis; an con-  
firmatione annullatâ perimatur quoque electio &c.

§. VI. Electio jure humano nulla, fit valida per 431  
confirmationem illius, qui potest & vult supplere  
defectus; ad hoc tamen necesse est, ut confirmans  
procedat ex certa scientia de defectibus, quos sanat,  
*Laym. Donat. Pass. Lott.* Vide *Leur. q. 423.*

§. VII. Electus non habet ante confirmationem 432  
jus in re, *Nav. Az. Garc. Rebuff. Tamb. Pass. Leur.*

q. 424., Nec potestatem administrandi, *Laym. Pirb. Leur. q. 425.*; & est expressè veritum electis, ne ante confirmationem se ullatenus ingerant in administrationem, *Cap. Nosti, Cap. Qualiter*, de Elect. *Az. Tamb. Lott. Leur. q. 426.*; & nequidem deputari potest, ut administret velut Oeconomus vel procurator aliove simili titulo, *Cap. Avaritia*, de Elect. in 6. *Paß. Lott. Pirb.*; Administrare tamen potest, 1. Si exigat necessitas, & absit, qui confirmare potest, *Lott.* 2. Si alicubi sit consuetudo administrandi, necdum acceptâ confirmatione, *Paß.* & alii contra *Abb. & alios.* 3. Abbatissa aut Priorissa electa per majora, non potest tamen alienare aliquid, nec admittere novitias, *Laym. Pirb.* 4. Episcopi aliique Prælati etiam inferiorum Ecclesiarum confirmandi à Papa, si extra Italiam sint in concordia electi, *Cap. Nihil*, de Elect. *Leur. q. 803.* Tunc autem dicitur electio in concordia, si facta sit per majorem partem, ita ut minor justè non possit contradicere, *Laym.* Nullam tamen habent potestatem alienandi vel donandi, *Cap. Nihil*, *ibid.* Hanc potestatem administrandi *Abb. Laym. Pirb.* contra *Gl. & Butr.* concedunt etiam aliis Prælatibus ab Episcopo vel alio confirmandis, si ob distantiam vel aliud impedimentum nimum differenda esset confirmatio. Vide *Leur. q. 427.* & seqq. Administrantes autem ex concessione *Cap. Nihil*, hoc ipso acquirunt quasi possessionem, *Gl. Laym. Pirb. Leur. q. 435.* Quòd si electio rejiciatur tanquam irrita à principio ob defectum publicè notum, cessat possessio, imò gesta ab electo sunt irrita, si autem electio solum irritata est, aut si defectus non fiat publicè notus, gesta valent, *Gl. Abb. Inn. Laym. Pirb. Leur. q. 433.*

433 §. VIII. Quando opus est confirmatione Papæ ante administrationem prælaturæ, quamvis aliquis etiam

etiam per testes certus sit confirmationem esse datam vel etiam scriptam, tamen administrare non potest, nisi litteris acceptis & exhibitis, *Bonif. VIII. Extrav. Injuncta*, de Electi., inter communes, *Az. Paris. Pass.*, alioquin irritum est, quidquid agit, nec quidquam percipere potest; & qui talem recipiunt, suspenduntur à perceptione. Eadem poenæ cadunt in illos, qui administrant necdum præstito fidelitatis juramento vel non obtentis litteris traditionis pallii, *Pirh.* Excusatur ab his poenis, qui non commisit temeritatem & præsumptionem, & in quem nondum est lata sententia horum declaratoria. Vide *Leur. q. 438. & 439.*, & quoad Regulares q. 440.

§. IX. Qui confirmantur ab alio quàm Papa, possunt validè & impunè administrare ante exhibitas litteras confirmationis, quamvis hoc negotium non sit ordinatum sed adhuc subjectum turbationi, *Abb. Felin. Oldr. Barb. Pass. Lott. Leur. q. 441.*, valentque dicta, etiam si nondum ceperit possessionem, *Pass. Garc. Vide Leur. q. 442.* 434

§. X. Poena usurpatæ administrationis ante confirmationem est privatio juris quæsitæ per electionem, *Cap. Qualiter*, de Electi.; putatque *Layman* non requiri nisi declarationem & executionem Judicis, sed alii cum *Pass. Lott. Pirh.* dicunt esse poenam ferendæ tantùm sententiæ: si autem quis se ingesserit ex titulo Oeconomi vel alio, cum præsumptione seu temeritate, malitia & dolo, per *Cap. Avaritia*, de Electi. in 6. privatur ipso facto suo jure, attamen post declaratam à Judice præsumptionem, malitiam & dolum, *Tiraq. Paris. Tamb. Pass. Lott.* Porrò à dolo excusat quævis causa, etiam de se injusta & imprudens, *Pass. Lott.* Quòd si quis se ingesserit post confirmationem ex errore juris irritam, multi cum *Lott.* dicunt adhuc incurri illam poenam, sed pro-

babiliter negat *Paß.*, quia pœnæ non sunt extendendæ ad diversos casus. Vide *Leur.* q. 435. Talem autem se ingentem reddi inhabilem ad illam Prælaturam & ad alia etiam beneficia in quacunque Ecclesia, tenent *Menoch. Az.* & alii. Vide *Leur.* q. 436.

436 §. XI. Episcopus acceptâ confirmatione, potest, etiam ante consecrationem, saltem per alium, omnia, quæ sunt jurisdictionis, sed non quæ sunt Ordinis Episcopalis. Nec obstat *Reg. 67. juris in 6., Quod alieni suo non licet nomine, nec alieno licebit.* nara sensus est non posse, v. g. Suffraganeo suo dare potestatem ordinandi, hanc enim aliunde habet, attamen dare potest jurisdictionem, quam non habet Suffraganeus sed solus Episcopus, *Leur.* q. 443. Archiepiscopus tamen non potest ante acceptum pallium convocare Concilium provinciale aut visitare Provinciam &c. *Cap. Quod sicut, de Elect. Leur.* q. 444. Abbas confirmatus potest ante benedictionem exercere omnia, quæ sunt jurisdictionis, *Tamb. Lott.* Vide *Leur.* q. 445.

437 §. XII. Electus debet intra trimestre à die acceptæ electionis petere confirmationem, nisi legitimè impediatur, *Cap. Quam sit, de Elect. in 6.* Est tamen satis, si procurator, amicus, electores vel quivis alius petat pro ipso, *Paß.* Et si per duas electiones sit electus, non potest nisi ex vi unius peti confirmatio, ne hæc vagetur in incerta, *Cap. Et quis, de Elect. Laym. Paß Lott. Pirh. Nec obstat,* quòd quis possit prosequi plures collationes vel institutiones, nam disparitas est, quòd electus priùs quærat jus, & sit petitor confirmationis, adeoque determinare debet, vi cuius electionis petat; habens autem collationem vel institutionem habet jus in re, & quærit se in eo defendere, & *Nemo pluribus uti defensionibus prohibetur, Reg. 20. juris in 6.* docent autem etiam

etiam *Gl. Barb. Lott. Paß. Leur. q. 138.* præsentatum pluribus præsentationibus posse prosequi singulas, aut ab una electa regredi ad alteram, sed contradicunt *Lap. & Lamb.*, quia similiter institutio hæc vagaretur in incerto. Plura circa petitionem confirmationis vide apud *Leur. q. 446. & seqq.*

§. XIII. Qui absente impedimento non petit confirmationem intra tempus, ipso facto sine alia declaratione cadit jure quæsito, *Cap. Quam sit, de Elect. in 6. Suar. Barb. Paß. Pirb.*; & tunc jus ac tempus eligendi redit ad electores, *Cap. Si electio, ibidem, Paß. Pirb.*, nisi electio fuerit præsentata Papæ, cui tunc per applicationem manuum provisio reservatur, *Lott. l. 3. q. 17. n. 213.* Posset autem confirmans ex causa cogere electum ad petendam prius confirmationem, *Gemin. Franc. Paß.*

§. XIV. In Ecclesiis cathedralibus & regularibus, pro quibus confirmatio petitur à Papa, statuitur *Cap. Cupientes, de Elect. in 6.*, ut electi post mensem à præstito consensu veniant Romam intra tempus respondens distantia loci, aut si impediti sint, mittant procuratorem cum actis, debentque etiam nomine electorum venire duo, qui post 20. dies ab adventu se simul præsentent, referant de electione & confirmationem petant, nec discedant Romam, nisi confecto toto negotio. Vide *Leur. q. 455.*

§. XV. In jure non est statutum tempus, intra quod dari debeat confirmatio; si tamen tardet, potest Superior illius, qui habet jus confirmandi, præfigere terminum, sed non ultra sex menses, intra quos, si non confirmet, ipse faciat, *Barb. Paß. Leur. q. 456.*

§. XVI. Confirmatio fieri potest omni loco honesto; facta tamen in aula Principis sæcularis posset irritari, *Cap. Quæ fronte, de appel. & arg. Cap.*

*Quanquam*, de Elect. in 6. Pass. Pirh. Leur. q. 457. Quòd si fiat post litem in iudicio contradictorio, aut opponentibus solenniter citatis, fieri non potest extra territorium proprium, quia in alieno exerceri non potest iurisdictio contentiosa, Pass. Vide *Gare.* p. 5. c. 8. n. 141. & *Leur.* q. 458.

442 Q. 58. Quid circa postulationem ejusque admissionem sit addendum. R. De postulationis divisione, fine, effectu, & formis in illa observandis, videri potest *Leur.* p. 2. q. 201. & seqq., quibus adde seqq.

§. I. Postulatio facta in discordia, id est, in qua aliqui postulant hunc, alii alium, si non concurrat cum electione, requirit majorem partem Capituli, uti ex cap. I. De his, quæ fiunt à maj. part. Capitu., & ex cap. *Bona* 23. h. t. colligunt *Az. Laym. Barb.* de jure Eccle. l. 1. c. 19. n. 12. Si concurrat cum electione, ut huic prævaleat, requirit duplo majorem numerum votorum, sive duas partes Capituli, *Abb. Silv. Laym. Barb. Fagn. Pass. Lott.* l. 3. q. 17. n. 241., probatque stylus Curia antiquus & recens: hinc *Cap. Scriptum*, de Elect. significatur, ubi sunt 47. eligentes, si non fuerint 32. postulantes, sed 17. eligentes, confirmandam esse electionem; & authores, qui fortè innuunt postulationem per majora factam esse præferendam, intelligi debent, si postulatio cum postulatione concurrat, quamvis & tum possit utraque rejici, cum admissio postulationis non sit debita, uti dicitur n. 448. Notant tamen *Laym. & Pirh.*, si major pars postularit, & minor pars, attamen major, quam sit pars tertia, elegerit, Superiorem posse admittere postulationem, quamvis & electionem confirmare possit, aut etiam utramque rejicere; quod maximè valet, si duæ partes ignoranter postularint indignum, tum enim rejicitur postulatio & electio: si autem scienter fecerint, confirmatur potius electio,



Electio, Pass. de Elect. c. 24. n. 57. Vide Leun. q. 209. 210.

§. II. Quamvis postulatio sit unanimiter facta, si 443  
necdum sit præsentata Superiori, possunt postulantes resilire & procedere ad aliam postulationem vel electionem, Abb. Sylv. Az. Barb. Lott. Quod tenet, etiam si esset publicata, Laym. Pirb., & admittitur à postulato, Pass. Engel; imò licet postulantes promississent non revocare, Bald. Pass., sic tamen variantes sine causa possent peccare caulando infamiam postulato; & si consenserint in expensas ab hoc faciendas, tenentur refundere, Pass. Engel contra Abb. Silv. E. contra si postulationem præsentarint Superiori, debent hujus judicium expectare, Cap. Bone. 4. h. t. Vide Leun. q. 212. 213.

§. III. Omnes, qui possunt eligere, possunt postulare, cum postulatio sit accessoria, & fiat loco electionis, Silv. Barb. Pass., ideoque etiam præscribi potest jus postulandi, uti & eligendi, secundum dicta n. 395. Postulari possunt solum illi, qui ob impedimentum canonicum dispensabile eligi non possunt, quamvis forte rarò soleat dispensari, Pass. Engel l. 1. tit. 5. n. 10. In dubio, an quis sit eligibilis an postulabilis, securius est postulari, Pass. n. 25.

§. IV. Patriarchæ, Archi-Episcopi & Episcopi 445  
possunt tantum postulari ad aliam Ecclesiam, Cap. ult. h. t. Quod tenet de Episcopo confirmato, quamvis nondum consecrato, Abb. Laym. Pass. Pirb. l. 1. t. 5. n. 9.; attamen non tenet de electo necdum confirmato; neque de illo, qui Episcopatum dimisit, quia necdum est; aut desit esse in Matrimonio cum Ecclesia, Cap. Cum inter, de Elect. Cardinalem esse eligibilem ad Episcopatum docent Abb. Laym. Pass. Pirb. & alii, contra Imol. Host. Silv. Butr. Az. Barb. n. 9., quia hoc nullibi negatur,  
O 3 quam-

quamvis admittere non possit sine licentia Papæ. Similiter Abbates, Archidiaconi, Præpositi, Priores sunt eligibiles ad dignitatem similem vel majorem in alia Ecclesia, *Laym. Pirb. Pass.* à n. 38. Similiter Clerici unius Diocesis ad Prælaturas alterius, *Abb. Silv. Tabien. Pass.* n. 41. Similiter Religiosi professi ad Prælaturas Episcopatu non inferiores, attamen non sine licentia Superioris, *Cap. Si Religiosus*, de Elect. in 6. *Gl. Abb. Silv. Pirb.* n. 42. Mendicantes tamen nequidem postulari possunt ad Ecclesias inferiores vel alia Monasteria extra suos Ordines, *Extrav. De postulatione, Inter communes.* Possent tamen postulari apud Papam, *Pass.* n. 44. Quod si non essent professi, postulari possent ad Prælaturam regularem, *Pass. Lott.* n. 256. Eligi etiam potest aliquis, quamvis non sit de hoc Capitulo vel Diocesi, uti dictum est n. 408. Denique si aliqui inscienter elegerint tantum postulabilem, cognito errore possunt postulare eundem, *Laym. Vide Leur. q. 221. & seqq.*

446 §. V. Si scienter postuletur indignus, sive habens defectum indispensabilem, perditur pro ea vice ipso facto jus postulandi & eligendi, arg. cap. 1. & 2. h. t., *Cap. Scriptum*, & *Cap. Cum in cunctis*, de Elect. *Abb. Barb. Az. Pass.* n. 17., electio enim & postulatio etiam quoad pœnas æquiparantur, cum sint ad eundem finem, *Gl. Laym. Pirb.* Præterea postulantes indignum, saltem ad Ecclesiam Cathedralē, suspenduntur per triennium à beneficiis in Ecclesia, pro qua postularunt, *Extrav. un. h. t. inter communes*: Qui tamen tali postulationi expressè contradixerunt, soli retinent jus, *Cap. 2. h. t. & Cap. Cum Vintoniensis*, de Elect. Quod verum est, etiam si esset unus, qui contradixisset, nam jus & nomen universitatis conservatur in uno, uti dictum est n.

390. Vide *Leur.* q. 217. & seqq. Item dicta n. 404.

§. VI. Postulatio publicanda est, non tantum co- 447  
ram Capitulo, sed etiam populo, uti vult *Paß.* n. 22.  
contra *Sily.* Tenentur autem postulantibus intra tres  
menses suam postulationem presentare, *Gl. Laym.*  
*Pirb.* l. 1. t. 6. n. 307.; aut si à Papa petenda sit ad-  
missio, secundum *Cap. Cupientes*, de Elect. in 6.,  
debet Capitulum post mensem à non recusata po-  
stulatione mittere Romam, eo modo, quo de ele-  
ctione dictum est à n. 437.; possuntque videri *Pirb.*  
à n. 309. & *Leur.* q. 455., Postulatus autem prohi-  
betur sui admissionem petere, *Paß.* c. 33. n. 43., de-  
bet tamen intra mensem declarare, an dissentiat sui  
postulationi an non, *Cap. Quam sit*, de Elect. in 6.,  
non tenetur tamen positivè consentire, *Cap. Cupien-*  
*tes*, ibid., quamvis; si non recuset, possit consen-  
tire sub conditione admissionis à Superiore, *Paß.* Vi-  
de *Leur.* q. 214. & seqq.

§. VII. Postulatio dirigitur ad eum, cuius esset 448  
confirmare electionem, dummodo possit dispensare  
in impedimento, alioquin dirigitur ad dispensan-  
tem, ut tollat impedimentum; & dein ad confir-  
mantem, nisi dispensans simul haberet potestatem  
confirmandi, *Laym. Pirb. Leur.* q. 228. Non est ta-  
men ex iustitia obligatio, ut admittat postulatio-  
nem, *Host. Tond. Laym. Paß. Pirb.* l. 1. t. 5. n. 15. con-  
tra *Abb. Io. Andr. & Lott*, quod colligitur ex *Cap.*  
*postulationem*, & *Cap. 3. bona*, h. t., ubi dicitur  
esse gratiam, si admittatur, etiam si quis per unani-  
mia postuletur, non enim est obligatio dispensandi,  
cum nemo invitatus de suo cogatur facere beneficium,  
*Cap. 4. Precaria*, 10. q. 2., quamvis per accidens  
possit esse obligatio ex officio, charitate vel aliunde,  
*Leur.* q. 229.

§. VIII. Si postulatus administret ante admissio- 449  
nem,

nem, postulatio est ipso jure nulla, quia nequidem dat  
jus ad rem, *Inn. Abb. Laym. Fond. Pass. Lott. n. 301.*  
*Pirh. l. I. t. 6. n. 302.* Imò electores talem postula-  
tum recipientes sunt istâ vice privati potestate eligen-  
di & postulandi, *Leur. q. 430. n. 5.*

450 Q. 59. *Quid addendum sit circa possessionem.*  
R. De possessione multa diximus l. 3. p. 2. à n. 507,  
quæ videri debent: hic adde seqq.

§. I. Beneficium collatum & acceptatum dat  
plenum jus in re, ita ut si sic provifus moriatur ante  
possessionem captam, beneficium vacet per mortem,  
quia possessio non addit jus, sed tantum facit, ut  
jus sit efficax, & competat potestas administrandi ac  
percipiendi fructus, *Rosa de Exec. lit. Apost. p. 1. c.*  
*6. n. 194.* Vide *Leur. p. 2. q. 442. & 800.* Et quam-  
vis secundum dicta n. 432. electus per concordiam  
sæpe habeat potestatem administrandi etiam ante  
confirmationem, tamen is, cui beneficium est colla-  
tum, debet, antequam administret, præter collatio-  
nem & investituram, habere possessionem, *Laym.*  
*Lott. Leur. q. 801.,* nisi fortè investitura fieret in  
loco beneficii, aut non esset liber accessus ad locum  
beneficii, *Covarr. Laym. Castrop. T. 13. d. 2. p.*  
*32. à n. 7.*

451 §. II. Quando in Ecclesia vel altari, ubi est bene-  
ficium, sit ejusmodi apprehensio possessoria, per eam  
sufficienter apprehenduntur omnia ad beneficium  
pertinentia, *Covarr. Castrop. Paris. Corr. Leur. q. 806.*  
sicque etiam capitur possessio beneficii uniti, *Gonz.*  
*Lott. Leur. q. 807.* potest autem possessio appre-  
hendi etiam per procuratorem ad hoc specialiter de-  
putatum, *Paris. Castrop. Leur. q. 810.* Et quamvis  
in thronizatio, quæ tantum est externa solennitas,  
de se non tribuat possessionem, tamen *Lott.* putat  
per installationem seu assignationem proprii stalli  
suffi-

sufficienter tradi possessionem; hoc tamen non est verum, v. g. de electo, si ducatur ad stallum vel ad domum beneficii, quia cum possessio non possit capi ante confirmationem, talis ceremonia censi non potest possessio. Vide *Leur. q. 302.*

§. III. Post confirmationem, institutionem aut collationem & investituram potest quis propria auctoritate capere possessionem, nisi alicubi esset praxis, ut per alium detur, *Leur. q. 798.*, aut nisi alius possideret beneficium, tum enim hic possidens esset per executores vel iudicem vocandus, *Cap. Litteræ Episcopus, de Præb. in 6. Paris. Menoch. Leur. q. 309.* Et sic qui obtinuit resignationem in forma dignum, debet citato resignante per executores mitti in possessionem; potest tamen habens resignationem in forma gratiosa propria auctoritate possessionem capere, *Paris. Garc. Luca.* Vide *Leur. q. 799.* De cætero nunc ordinariè ad Episcopum aut ejus Vicarium spectat mittere seu mandare provisorium mitti in possessionem.

§. IV. Possessio in beneficiis Cathedralibus & Collegiatis illarum Ecclesiarum debet tradi per Capitulum vel aliquem ab eo deputatum, si tamen id neglectum sit, satis est aliquem postea admissum esse ad alios actus Capitulares, *Lott. Luca.* Vide *Leur. q. 808.*

§. V. Si beneficium habeat suam Ecclesiam vel altare, debet ibi capi possessio, *Corr. l. 4. c. 7. n. 44.*; fieri autem potest per tactum januæ templi, per osculum altaris, vel in necessitate per ocularem inspectionem cum attestatione Notarii, *Corr. n. 41.* Quod si nesciatur Ecclesia vel altare beneficii, satis est apprehendere prædium beneficii, *Lott.* Vide *Leur. q. 804. 805.*

§. VI. Lite pendente non potest capi possessio beneficii, super quo lis est apud Iudicem introducta; si tamen

tamen tantum extrajudicialiter fit processum, potest capi. Vide *Leur.* 511.

456 §. VII. Si quis, etiam post signatam à Papa supplicam, attamen ante expeditionem literarum, cepit possessionem beneficii, non facit fructus suos, sed in conscientia tenetur restituere, etiamsi nemo se opponat; estque talis possessor intrusus & perpetuo inhabilis, *Constitu. : Julii III., Luca* de benef. d. 56. n. 1. Vide *Leur.* q. 812. id tamen tenet tantum de provisus per Papam & non per alios, *Lott. Leur.* q. 442. n. 6.

457 §. VIII. Quamvis ad acquirendam possessionem prærequiratur titulus, ne vitiosus sit ingressus, ideoque non possit electus capere possessionem ante confirmationem, nec præsentatus ante institutionem, *Laym. Pirb. Leur.* q. 434, tamen titulus non requiritur ad manutenendam possessionem, *Paris. Lott.* l. 3. q. 24. à n. 6. Unde non expedit, ut possidens producat titulum, maxime si sit imperfectus, quia præsumeretur non adesse meliorem, sed satis ipsi est, quod possideat, & non constat de jure alterius, *Paris. Lott.* Excipe, nisi Superior inquireat, *Abb. Felin. Paris.* l. 11. q. 14. n. 35.; quod *Lott.* extendit etiam ad Patronum, aut etiam in curatis, ad quemvis parochianum, quia horum omnium interest, ne quis ejusmodi beneficia occupet sine titulo; non debent tamen injustè inquirere, quod præsumeretur, si facerent post pacificam possessionem triennem; nec debent inquirere tanquam adversarii, sed tantum velut agentes ex officio suo, vel pro cautela, *Paris.* n. 38. *Lott.* Vide *Leur.* q. 816. Eo ipso tamen quod quis possideat beneficium, præsumitur titulus, *Paris. Rebuff. Mascari. Gonz. Lott.*; & quamvis impetrans probet unum titulum esse invalidum, præsumitur alium valere, quia potest adfuisse aut supervenisse melior, *Tond. Lott. Leur.* q. 823. Similiter si quis probet

bet se hodie possidere, præsumitur continuasse possessionem, *Gl. Abb. Paris. Leur. q. 824.* Quid dicendum sit, si duo eadem die sint provisi, nec sciatur quis prius, & neuter possideat, dicitur n. 488. Item an & quomodo per surrogationem continuari possit possessio antecessoris, dicitur n. 537. & 546.

§. IX. De jure communi nullum capiendæ possessionis tempus statuitur, *Boer. Paris. Tond. Leur. q. 818.*, exceptis beneficiis resignatis, saltem extra Curiam, quorum possessio capi debet intra tempus, quo fieri debet eorum publicatio, secundum dicenda n. 1071. 458

§. X. Quomodo debeat probari possessio beneficii, præcipuè ut spoliatus restituatur, videri potest *Leur. q. 819.*, amittitur autem possessio per spontaneam & puram resignationem à Superiore acceptatam: quid autem dicendum sit, si quis resignarit in favorem tertii vel conditionatè, dicitur à n. 957. Item possessio amittitur per resignationem factam in manibus non habentis auctoritatem recipiendi, retinetur tamen proprietas, donec privetur, quia proprietas est quid spirituale, hinc de ea disponit solus Superior, possessio autem nihil habet spiritualitatis, *Abb. Inn. Nav. Menoch. Paris. Vide Leur. q. 821.* 459

§. XI. Possessio data ab illo, qui potest conferre, 460  
habet vim collationis, si hæc fortè antea fuit ommissa vel irrita, *Abb. Covar. Corr. Gonz. Iott. Leur. q. 822.*

Q. 60. An possit conferri, peti vel promitti 461  
*beneficium necdum vacans; aut saltem dari ejus expectativa. R.*

§. I. Beneficium necdum vacans conferri non potest, cum enim titulus beneficii non possit dividi, sed necessariò competat uni tantum, & quidem habenti, *Cap. Cum non igneres, Cap. Tue, de præb.*, alius illum obtinere non potest, *Laym. Castrop Leur.*

- p. 2. q. 787. n. 1. De præsentatione, vide dicta n. 302.
- 462 §. II. Episcopus non potest suo Vicario committere potestatem, vel conferendi certum beneficium antequam vacet, vel simul & conjunctim admittendi resignationem & conferendi idem beneficium resignatum, vel conferendi primum beneficium vacaturum aut resignandum alicui determinatæ personæ, quia talibus præbetur occasio, vel captandi mortem alterius, vel per vias illicitas aperiendi sibi viam ad beneficia nondum vacantia, *Rebuff. Laym. Sbro. Pirh. Leur. q. 691.*
- 463 §. III. Potest beneficium vivente adhuc beneficiato incorporari, v.g. Monasterio, per hoc enim non fit provisio beneficii in actu, sed tantum in habitu, *Laym. Leur. n. 2.* Potest etiam Episcopus suo Vicario & non alteri dare generalem commissionem conferendi beneficia, non tamen conferendi unum certum vacaturum, *Castrop. Leur. p. 788.*
- 464 §. IV. Regula 21. Cancellariæ sic habet, *si quis supplicaverit de beneficio quocunque tanquam per obitum alicujus licet nunc viventis vacante provideri, & postea per obitum ejus vacet, provisio & quavis dispositio etiam vigore alterius novæ supplicationis vel gratiæ dicto supplicanti per obitum hujusmodi denuo faciendæ nullius sint roboris vel momenti.* Item Regula 30. voluit & ordinavit, quod omnes gratiæ, quas de quibusvis beneficiis Ecclesiasticis cum cura vel sine cura, secularibus vel Regularibus per obitum quarumcunque personarum vacantibus in antea fecerit, nullius roboris vel momenti sint, nisi post obitum & ante datam gratiarum hujusmodi tantum tempus effluxerit, quod inserim vacationes ipsæ de locis in quibus personæ prædictæ decesserint, ad notitiam S. D. N. verisimiliter potuerint pervenisse.

§. V.



§. V. Cùm *L. donari*, 29. ff. de donationibus, & 465  
*L. ult. Cod. de pactis*, omnis pactio vel promissio  
 circa hæreditatem viventis non consentientis rejicia-  
 tur tanquam repugnans bonis moribus, multò ma-  
 gis circa beneficia; unde qualiscumque promissio  
 beneficii necdum vacantis alieni conferendi est pror-  
 sus irrita & prohibita, uti dictum est n. 302. Nihilo-  
 minus adhuc usum habent preces primariæ, uti dice-  
 tur à n. 569. Item Coadjutorix cum futura successio-  
 ne, uti dicetur à n. 718.

§. VI. Per expectativam intelligitur manda- 466  
 tum Papæ ad Ordinarium, ut hunc vel illum Cleri-  
 cum provideat de primo beneficio vacante: In Ger-  
 mania autem usus expectativæ sublatus est per Con-  
 cordata; imò *Trid. Sess. 24. c. 19. & Sess. 25. c. 7. de*  
*Reform. generatim & ubique abrogat omnes expe-*  
*ctativas, etiam si accederet consensus Ordinarii, Barb.*  
*de jure Eccl. l. 3. c. 13. n. 10.*

§. VII. Quavis Papa, secundùm multos AA., 467  
 adhuc possit absolutè concedere expectativam, attamen non facit, *Luca ad Trid. d. 45. n. 1. Vide Leur.*  
*p. 2. q. 628. & seqq.*, ubi etiam explicat, ad quæ be-  
 neficia se extendat expectativa, quænam ex pluri-  
 ribus concurrentibus sit præferenda, quomodo pos-  
 sit renuntiari, permutari, extinguï, perdi, & si-  
 gnanter notant *Paris. Garc. Leur. p. 3. q. 298. n. 4.*  
 si Papa mandet aliquem provideri de primo bene-  
 ficio vacaturo, non intelligi vacaturum ex permuta-  
 tione: imò nec intelligi beneficium curatum, nec  
 dignitatem, nec Canonicatum Cathedralem docent  
*Garc. p. 1. c. 6. à n. 49. & Castrop t. 13. d. 1. p. 2. n.*  
*10. Gratia autem expectativæ expirat morte Papæ,*  
 re integrâ, & quando executores deputati non sunt,  
*Cap. Si super, de off. delegati in 6. Cap. Si cui, de*  
*præb. in 6. Cabaff. l. 2. c. 3. n. 20.*

P

§. VIII.

486 §. VIII. Si quis habens tenuem præbendam, & credens pinguem brevè vacaturam, sciat aliquem tertium obtinuisse à Papa indultum pro prima vacatura, ideoque suam resignet, ut hæc conferatur illi tertio, & ipse pinguem brevè vacaturam obtineat, hanc obtinere non potest, quia commisit fraudem, sed conferri debet expectanti Apostolico, uti habetur Cap. 2. de Renunt. in 6.

469 Q. 61. Quid Papa absolutè possit & solet facere circa beneficia. R.

§. I. Juxta Cap. Licet, 2. de præb. in 6., & Cap. 1. Si duobus, Ut lite pendente, habet Papa jus plenum & absolutum disponendi de omnibus beneficiis, Laym. Castrop. T. 13. d. 2. p. 13. n. 2.; nec ullus Catholicus id negat, inquit Lott. l. 2. q. 22. n. 9., quia id imbitur in erectione & admissione omnis beneficii. Neque hanc potestatem potest ei ullum Concilium adimere aut restringere, Az. Lott. n. 23. Nec Papa ipse potest se potestate illâ privare, cum à Christo sit in bonum Ecclesiæ alligata officio. Vide Leur. p. 2. q. 512. & dicenda n. 518.

470 §. II. Papa potest providere de beneficiis, 1. Jure concursus, si, quando vacat, præveniat Ordinarium collatorem, & alicui conferat. 2. Jure devotionis, si collatores aliquid negligant. 3. Jure præventionis, si, antequam vacet, assignet alicui per expectativam. 4. Jure reservationis pro certis casibus. 5. Simplici viâ juris, si conferat illi, qui defert alium malè ingressum. Leur. q. 513.

471 §. III. Papa potest, si velit, concurrere cum quocumque, non attento jure etiam cujuscumque Patroni secundum dicta n. 357.; Si tamen aliquis juridicè probet, se prius ab Ordinario possessionem habuisse, est manutenendus, Gonz. Luca, Castrop. n. 4. Less. in auct. v. beneficium, cas. 4. Vide dicenda n.

546. Quod si Papa præveniat in quatuor mensibus de jure concessis Ordinario, sciens esse mensem Ordinarii, prævalet provisio Papæ, quamvis non exprimat se juri Ordinarii derogare, concedendo enim istam facultatem generalem non censetur sibi eripuisse potestatem faciendi alicui gratiam specialem: Si autem faciat in sex mensibus alternativæ concessæ Ordinariis, *Garc. Ricc. Barb. & alii* dicunt adhuc prævalere provisionem Papæ, quamvis expressè non deroget, sed *Felin. Gonz. Zerol. Castrop.* aliique dicunt provisionem Papæ censi debere profectam ex errore, quo putaverit provisionem ad se pertinere, quia specialis gratia non debet censi revocata, nisi expressa fiat mentio, *Castrop. p. 14. Luca de benef. d. 23. n. 4. & d. 18. n. 12.*, sed *Chok. ad Reg. 8. Cancel. in proem. n. 16.* dicit non esse quidem absolutè opus, ut expressè meminerit, attamen opus esse, ut ex ipsa supplica & gratia clarè pateat nullo alio, quàm præventionis titulo agere voluisse, uti si narretur beneficium vacare in mense Ordinarii, & Papa dicat se illud conferre. Vide *Leur. q. 513. & seqq.* An autem Papa possit concurrente vel præveniendo derogare concordatis Germaniæ, dicitur à n. 518.

§. IV. Papa communiter non utitur jure concursus vel præventionis, ne Episcopi conquerantur, & ratio datur *Can. Pervenit, caus. 11. q. 1. Si qua unicuique Episcopo jurisdictio non servatur, quid aliud agitur, nisi ut per nos, per quos Ecclesiasticus custodiri ille ordo debuit, confundatur*: hinc pluribus probat *Gonz. ad Reg. 8. Cancel. in proem. §. 4.* ob multa incommoda non esse honestum, ut Papa id faciat, ideoque in dubio non præsumitur voluisse facere, *Chok. supra*: quod maximè valet, si de hac præveniendi intentione nullam faciat mentionem. Vide *Leur. q. 599. n. 6.*

P 2

§. V.

473 §. V. *Az. Garc. Luca, Pirb. Levr. q. 212. & 523.* putant Papam juxta Cap. *Qua in Ecclesiarum*, de *Constit.*, posse ex alta potestate cuiusvis, etiam sine causa, adimere beneficium, sed contradicunt alii cum *Leß. de Just. l. 2. c. 34. n. 3.* putantes Papam esse tantum supremum dispensatorem beneficiorum ad utilitatem Ecclesiae, & non absolutum dominum, sicuti est tantum Supremus administrator bonorum Ecclesiae, uti tenent *Nav. & Dicast. de Just. l. 2. t. 3. n. 342.*, imò quamvis permittatur cum *Mench. Burf. Lott. l. 2. q. 22. n. II.* esse absolutum dominum beneficiorum, tamen dicunt, si semel contulerit, acquiri jus etiam contra ipsum Papam, ita ut sine causa illo privare non possit, uti si dominus rem suam donarit, donatarius sic acquirit jus, ut sine causa tolli non possit.

474 §. VI. Probabilius est contra *Suar. Vasq. &* alios apud *Barb. de Jure Eccl. l. 1. c. 1.* Papam non tantum peccare, si disponat de Papatu, & constituat sibi successorem, sed etiam id non posse, quia respectu Ecclesiae habet se sicuti vir ad uxorem, vir autem non potest uxori ponere successurum virum: deinde nec ante mortem possit illi successuro conferre jus, alioquin darentur simul duo capita in Ecclesia, nec post mortem, quia tunc non est.

475 Q. 62. *Quid addendum sit circa jus alternati-  
vè conferendi per menses. R. Seqq.*

§. I. Præscindendo à specialibus Concordatis, de quibus dicitur à n. 502., Papa, ut ad residentiam alliceret Episcopos, 4. mensibus nempe Martio, Junio, Septembri, Decembri, quorum provisionem jure communi habebant Episcopi, adjecit per Reg. S. Cancellariae duos, ita ut jam alternatim possint providere, Papa quidem in Januario, Martio, Majo, Julio, Septembri, Novembri, Episcopus autem in  
Februa-

Februario, Aprili, Junio, Augusto, Octobri, Decembri, & hæc gratia dicitur alternativa.

§. II. Ad alternativam habendam ante omnia 476  
 requiritur, ut Episcopus per literas patentes subscriptas in dicecesi sua, sigillatas, missas ad Datariam, hanc alternativam acceptarit, & hoc sit annotatum Romæ, tum enim censetur approbata, *Castrop. T. 13. d. 2. p. 23. §. 4. n. 2. Luca de benef. d. 93. n. 2. & 7. :* Et ex tempore annotationis illius habet Episcopus jus alternativæ, & cessant 4. menses ordinarii; attamen licet non utitur hoc jure ante notitiam annotationis, nisi provideat sub conditione, quo tamen casu provisus non poterit capere possessionem, nisi acceptâ notitiâ, *Garc. Castrop. Corr. Leur. p. 2. q. 577. 578.* Quod si idem Episcopus habeat duas Ecclesias, sive divisas, sive etiam æquè principaliter unitas, & acceptet alternativam sub nomine unius, non ideo acceptat sub nomine alterius, *Gonz. Luca, Leur. q. 579.* Si autem sic scribatur & annotetur, *Cajus Episcopus hujus & illius Ecclesiæ acceptavit alternativam, præsumi debet acceptasse pro utraque, Luca n. 20. & disc. 19.*

§. III. Ut competat alternativa, requiritur præ- 477  
 terea Episcopi residentia; neque hîc juvat ulla causa etiam justissima absentia, nequidem si extra dicecesin deserviat Sedi Apostolicæ: Addunt cum communi *Garc. Castrop. §. 2. n. 2. Leur. q. 572. n. 2.,* quamvis ex justa causa abesset etiam ad duos dies tantum, si tamen interea vacet beneficium, eum non gaudere privilegio, licet toto mense adfuisset, sed requiri residentiam actualem, quando incipit vacare beneficium, & ita resolvit Rota: hinc *Gonz. ad Reg. 8. Gl. 43. n. 14. & 144. & seqq. latè probat,* momento, quo cessat residentia, etiam cessare jus alternativæ. Idem dicunt *Garc. & alii cum Leur. ,*

quamvis abesset timore mortis vel violentiâ impeditus; contradicit tamen in hoc *Gonz.* Quod si abfit tribus mensibus à *Trid.* *Sess. 23. c. 1. de Ref. concessis, Garc. p. 5. c. 1. à n. 461. & Corr. l. 3. c. 6. à n. 41.* dicunt ex declaratione S. Congreg. non gaudere alternativâ pro istis mensibus. Et hanc quidem residentiam requiri animo constanter residendi & satisfaciendi suo muneri, non autem ex alia causa, neque affectatam pro illo tempore, docent *Lott. & Luca,* quamvis alii cum *Gonz. Garc. Leur. n. 7.* meritò tantùm requirant veram actualem residentiam, præscindendo ab intentione.

478 §. IV. Hæc residentia debet esse in ipsa formaliter Diocesi Episcopi, nec sufficit esse in loco etiam vicinissimo, quia concessio dicit, apud Ecclesiam, sicuti nempe pastor debet esse apud & inter oves, *Barb. de off. Ep. alle. 53. n. 4.;* imò *Garc. & Castrop.* putant contra *Gonz. & Corr.* non sufficere, si sit in loco exempto intra diocesium, nisi ibi esset ad exercendam jurisdictionem extraordinariam; admittunt tamen satis esse, si sit in loco suæ jurisdictionis ordinariæ, quamvis extra terminos diocesis suæ. Vide *Leur. n. 8.*

479 §. V. Si Episcopus non resideat initio, aut accipiet alternativam post initium mensis, toto mense non fruitur privilegio, quia mensis semel Apostolicus semper est talis, *Barb. Luca d. 19. n. 5. Lott. l. 2. q. 40. à n. 54. contra Gonz. Garc. Castrop. n. 6.* Si autem resideat initio mensis, & non postea, hoc tempus sequens est Apostolicum, *Luca n. 9. & 18.* Validè tamen contulit pro tempore habili, quo residit. Vide *Leur. n. 5. & 6.*

480 §. VI. Alternativa conceditur solis Patriarchis, Archi-Episcopis & Episcopis, non autem inferioribus Prælatibus, nec Cathedrali Capitulo, *Gonz. Garc. Castrop.*

*Castrop. Luca, Leur. q. 570.* Estque pro solis beneficiis liberæ collationis ad eos pertinentis, quæ scilicet non conferuntur per præsentationem, electionem, simultaneam collationem, consilium vel interventum alterius, *Gonz. Garc. Castrop. Chok. Leur. q. 581.*, & ideo n. 333. dixi alternativam non habere locum in patronatu mixto, licet solus Ecclesiasticus per vicem suam præsentet: attamen habet locum in beneficiis, quæ conferri debent certæ familiæ vel certo generi hominum, v. g. Nobili, *Gonz. Garc. Luca*: Item in curatis & parochialibus, *Leur. supra*, quamvis Papa in his disimulet, supponens omnia conferri per concursum. Item alternativa extendit se ad illa, quæ spectant ad simultaneam collationem Episcopi & Capituli, postquam diviserunt collationem per turnos vel menses, uti explicat *Leur. q. 582.*

§. VII. Qui acceptavit alternativam, non amplius potest providere beneficia vacantia in Martio & Septembri, quia jam sunt reservata Papæ; neque in Episcopi potestate est alternativam acceptatam dimittere, *Castrop. Leur. q. 572. n. 4.* & *q. 580. n. 3. & 4.* Si tamen istis duobus mensibus non resideat, putant aliqui tum posse providere, cum careat gratiâ alternativæ, sed adhuc oppositum tenent *Castrop. & Luca*. Imò quamvis Episcopi dicantur fixè retinere Junium & Decembrem, ideoque putent *Garc. Barb. Castrop. Pirb.* Episcopos, etiam si acceptarint alternativam, retinere illos, quamvis non resideant, tamen multis contradicunt *Gonz. & Lott. q. 41. n. 33.*, quia privilegium juris communis ad providendum in illis mensibus mutatum est in gratiam alternativæ, quæ illos duos menses æqualiter cum aliis comprehendit ac reservat, nisi resideatur. Vide *Leur. q. 567. & 568.*

482 §. VIII. Si Cajus sit provifus à Sede Apoftolica, quia Epifcopus negatur refediffe, & Titius ab Epifcopo, qui dicitur refediffe, Titio incumbit probare, quòd Epifcopus refederit, quia vult gaudere privilegio refidentia, ergo debet hanc probare; neque jus præfumat Epifcopum femper verè ac personaliter refidere, cùm fæpe habeat caufas abfentia, *Gonz. Caftrop. Luca, Leur. q. 574.*

483 §. IX. Alternativa ceffat, I. per mortem Papa vel Epifcopi, ita ut non tranfeat ad fuccefforem: 2. Si Epifcopus tranfeat ad aliam diœcefin: 3. Si Epifcopus declaretur fe immiffiffe in menses Papales, aut impediviffe provifiones Papales: 4. Si Epifcopus renunciât, & renunciatio fit acceptata à Papa, *Caftrop. §. 5. n. 3.* Notant autem *Gonz. Garc. & alii*, fi Epifcopus ex ignorantia probabili provideat beneficia refervata, non amittere alternativam, quia hæc pœna fupponit gravem culpam. Vide *Leur. q. 583. & feqq.*

484 §. X. Pro urbe Coloniënfi fic habent Concordata, ut cum Papa alternent, non Archi-Epifcopus, fed fingula Capitula, quæ habent Februarium, Aprilem, Junium, Auguftum, Octobrem, Decembrem; Papa verò fex menses fuos tranfcripfit, partim Archi-Epifcopo, partim Univerfitati, ita ut hi etiam alternent, & Archi-Epifcopus habeat Januarium, Majum & Septembrem, Univerfitas autem Martium, Julium & Novembrem, in quibus Canonicatus & Vicarias per mortem vacantes conferunt Rector Magnificus, quatuor Provifores & quatuor Decani, & hæ præbendæ dicuntur tertiæ gratiæ; deinde in fingulis Capitulis eft una certa præbenda, quæ dicitur fecundæ gratiæ, quam tale Capitulum femper confert in quocunque mense vacet; præterea in Cathedrali & aliis undecim Collegiatis eft alia certa præben-



præbenda, quæ dicitur primæ gratiæ, quæ, in quocunque etiam mense vacet, semper confertur ab Universitate, id est, à Rectore Magnifico & quatuor Provisoribus, omnes autem qui ab Universitate providentur præbendæ tertiæ vel primæ gratiæ, debent esse saltem Magistri in artibus, & potestas conferendi præbendam tertiæ gratiæ debet confirmari à singulis Pontificibus, & quandoque confirmatur tantum ad aliquot annos; potestas autem conferendi præbendam secundæ vel primæ gratiæ est stabilis & perpetua.

Q. 63. Quid notandum sit circa tempus, quo incipit mensis Papa vel Ordinarii. R. Seqq. 485

§. I. Initium novæ diei de jure communi incipit à media nocte L. *More Romano*, ff. de feriis, L. *Consuluit*, de off. deleg. Nav. *Tiraq. Gonz. Barb. Garc. Castrop.* t. 13. d. 2. p. 22. §. 2. n. 1. Tempus autem mensis sumi debet secundum Calendarium, & tempus horæ mediæ noctis attendi debet, non præter propter, sed, quantum fieri potest, de momento ad momentum, civiliter & more Ecclesiastico, per designationem horologii, sicuti dictum est l. 1. à n. 582.

§. II. Tum est, v. g. duodecima noctis in æstimatione Ecclesiæ, quando sonat primus pulsus horologii, sive dum auditur, primus è quatuor quadrantibus, ante signa ipsiusmet horæ, quia quando rotæ incipiunt volvi pro sonando primo ictu, jam secundum tempus adest hora, uti periti artifices fatentur, & docent *Sanct. Barb. Garc. Castrop. Schild. de Consc.* t. 6. c. 4. §. 1. *Gob. in Exp.* t. 4. n. 274. *Nicol.* t. 1. d. 12. §. 3. *Leur.* p. 1. q. 561. n. 2., ictus enim illi volunt manifestare horam præsentem. Putant quidem *Bress. Leand. Dicast. Narbon. Pasq. Gob. Carden.* in l. crisi d. 26. n. 73. & alij apud *Dianam*

p. 10. t. 13. R. 45. probabile esse, quòd hora duodecima recdum censeatur adesse moraliter & civiliter, (ad quam moralem & civilem æstimationem horæ attendit Ecclesia) nisi dum auditur duodecimus pulsus horæ, tum quia alioquin etiam cum primo motu rotæ jam fuisset duodecima, quod videtur esse contra sensum communem, tum etiam quia horologium est veluti testis, qui aliquid loquitur, testis autem non censetur loquendo dedisse testimonium, donec propositionem suam integrè edixerit, prolatis etiam ultimis verbis, ergo licet horologium per primum pulsus denotet aliquam horam esse completam, tamen non notat, quæ aut quota sit illa, donec ultimus pulsus accesserit: sed R. Cum primo motu Rotæ adesse horam, sed nescimus adesse nisi ex pulsu. Ad alteram rationem est disparitas, quia testis loquens potest per extrema verba modificare vel explicare totum priorem sensum, quem elocutus est, horologium autem eloquitur prius per ultimum simul pulsus, attamen ab initio invariabiliter manifestabat totam illam horam præsentem: si tamen in horologio esset lusus campanarum, hic est ante horam.

487 §. III. Si unicum esset horologium, quod ordinariè aberrat, non est habenda ejus ratio, sed ex aliis iudiciis colligendum est medium noctis, horologia enim, quæ negligenter diriguntur, non habent vim opinionis probabilis, sed sunt veluti homines non digni fide, quia sciuntur sæpe mentiri, *Caram. Gob. a. 275.* E contra si sint plura horologia ordinariè bene directæ, aliqui putant standum esse horologio parochiæ defuncti, alii illo, quo populus communiter dirigitur, alii dicunt, si plura sint quàm duo, standum pluribus numero & communiter certioribus, uti contingit in testibus; vide *Nicol. §. 4.* ubi verò

verò non est horologium vel non est auditum medium noctis, metiendum est, vel ex cursu siderum, vel ex iudicio prudentum, *Garc. Barb. Castrop. Ex galki autem cantu vix aliquid certi colligi potest, cum mutet tempora, nisi per experientiam aliud sciretur; poterit tamen firmare præsumptionem, maximè pro Ordinario, si adversarius oppositum non probet, Gonz. Garc. Castrop. Leur. q. 561.*

§. IV. In dubio invincibili, an beneficium vacaverit in Papæ vel Ordinarii mense, uti si beneficiarius inveniatur ultimâ nocte Decembris mortuus, standum est pro Ordinario, quia de jure communi spectat ad hunc provisio, *Cap. Ex frequentibus, de Instit. & reservatio non præsumitur, utpote odiosa, Garc. Corr. Gob. Nicol. Leur. p. 3. q. 15. Quòd si uterque providerit, & nesciatur, quis prior, nec alteruter provisorum sit in possessione, adhuc præferatur provisorum ab Ordinario, quia pro hoc præsumitur, Gonz. Castrop. Leur. p. 2. q. 562. n. 3.; dicuntque idem Garc. Barb. Castrop. Nicol. Leur. contra Gonz. licet quis prius esset provisorum à Papa, jamque haberet possessionem, quia Papa voluisset providere vâ reservationis, quæ hic in dubio non habuisset locum; aliud autem est, quando agitur de jure concursus seu præventionis, uti dicitur n. 578.*

Q. 64. *Quid præterea sit addendum circa reservationem Papalem. R. Seqq.*

§. I. Reservatio est interdictum Papæ, factum inferiori circa usum potestatis disponendi de beneficio. Quomodo autem differat ab affectione beneficii per appositionem manuum Papæ, dicitur à n. 521. Porro hic notandum obiter, antehac ad Episcopos spectasse omnium beneficiorum collationem, & circa tempora *Ioannis XXII.* sub annum 1316. incepisse reservationes hac occasione, quòd ad preces Papæ & eius

ejus Officialium Episcopi darent beneficia, sicque paulatim plura sibi reservavit Papa. Vide *Luca* in Relat. Curia d. 9. n. II. & de benef. d. 1. & seqq.

490 §. II. Reservatio est vel generalis, quæ ad plura beneficia se extendit, vel specialis, quæ est tantum de uno certo beneficio. Item alia dicitur clausa in corpore juris, nempe in aliquo ex libris 6. Decretalium vel Clementinarum; alia extra corpus juris, quæ continetur in Extravagantibus aut regulis Cancellariæ. Vide *Leur.* p. 2. q. 524. & seqq. Dividitur etiam reservatio in Localem, quæ oritur ex vacatione per obitum in loco, v. g. Romæ; Realem, quæ oritur ex re ipsa, id est, ex ipsa beneficii qualitate, uti in Germania sunt prima post Pontificalem in cathedralibus, & prima dignitas in collegiatis. Resultantem ex tempore, quia nempe vacatio incidit in mensem vi alternativæ reservatum Pontifici; Personalem, quæ oritur ex persona, cujus obitu vacat, uti quia erat familiaris Papæ.

491 §. III. Videtur unica esse reservatio clausa in corpore juris, Cap. *Licet*, 2. Cap., *Statutum*, 3., Cap. *Presenti* 34. de præb. in 6., quæ reservantur beneficia vacantia in curia Romana: Curia autem Romana dicitur ubi Papa cum Collegio Cardinalium habet senatum, uti notat *Lott.* l. 2. q. 27., qui cum *Gl. Simon. Mandos.* pro eodem habet beneficium vacare in curia Romana & apud Sedem Apostolicam, quia Cap. *Licet*, cum Pontifex prius dixisset nemini licere beneficia apud Sedem vacantia conferre, mox subdit, nisi ei super conferendis eisdem in Curia Romana vacantibus specialis auctoritas ab ipso Pontifice sit attributa; sed ista distinguunt *Gomes*, *Covar.* *Gonz.* *Castrop.* t. 13. d. 2. p. 16. n. 2., qui eam vacationem solam vocant apud Sedem, quæ contingit per obitum in Curia, reliquas autem omnes vaca-  
tiones,

tiones, quarum provisio est apud Papam, dicunt non esse propriè apud Sedem, sed tantum in Curia; idem notat ex aliis *Engel* l. 3. T. 5. n. 9.; hinc inferunt *Rebuff. Barb.* de off. Ep. all. 57. n. 24. *Gonz.* ad reg. 8. Cancel. Gl. 13. n. 60. eum, qui habet indultum conferendi vacantia extra Curiam, posse conferre reservata per Extrav. & Bullas, adeoque excludi tantum vacantia per obitum in Curia. Vide etiam *Leur.* p. 1. q. 174. Nos hic sumemus pro eodem: itaque beneficium tum vacat in Curia, si quis moriatur in loco, ubi est Papa vel ejus Curia, aut saltem in loco Curia vicino intra duas dietas locales, quarum dietarum quælibet continet 20. leucas seu milliaria Italica, uti ostendit *Castrop.* supra, milliare autem unumquodque habet mille passus. Vide *Leur.* p. 2. q. 529. & seq., ubi q. 534. recenset exceptiones ab illa reservatione.

§. IV. Sub eandem reservationem cadunt beneficia illorum, qui sunt Officiales sive Curiales Papæ, quocumque loco moriantur, quia ratione officii censentur semper affixi Romæ. Vide *Leur.* q. 536. 537. Quod ad familiares attinet, docet *Castrop.* p. 19. n. 11., ut hæc reservatio locum habeat, non esse necesse familiaritatem durare aliquo determinato tempore, quocumque enim tempore etiam brevi duret, si eo durante receptum vel habitum sit beneficium, sufficit, ut reservatum maneat, *Garc.* p. 5. c. 1. n. 277. *Barb.* n. 113. Addunt rectè, quantum est ex vi regularum Cancellariæ, beneficia non liberari ab hac reservatione, esto per obitum Papæ vel Cardinalis, aut aliâ viâ ab eorum familiaritate discesseris, quia ita cavetur in dictis regulis, ubi dicitur, *etiamsi ab ipsa familiaritate recesserint*: & comprehenduntur etiam Officiales seu Curiales titulares sive honoris, uti habet Reg. 7. Vide *Barb.* totâ ferè all. 57. & *Leur.*

498

*Leur. q. 543. & seqq.* Quænam autem officia & beneficia officialium non subiaceant his reservationibus, explicat q. 556. & seqq.

493 §. V. Papa debet beneficia vacantia in Curia conferre intra mensem à die vacationis, alioquin redeunt ad Ordinarios collatores, atque si reservata non fuissent, *Cap. Statutum, 3. de præb. in 6. Zerol. Garc. Chok. Barb. Nicol. T. I. d. II. §. 4.*

494 §. VI. Etiam reservantur beneficia in pœnam delicti, 1. Ob hæresin. 2. Ob simoniam. 3. Si in collatione parochiæ neglecta sit forma Trid. 4. Si neglecta sit publicatio resignationis. 5. Si quis molester litigantes in Curia Romana eorumque Iudices, Advocatos &c. 6. Si ex potestate conferendi à Papa concessa beneficium conferatur inhabili. 7. Si quis se pro alio supponat examini; offerat pensionem pro obtinendo beneficio; beneficium impetret alteri pro compensatione; beneficium sibi impetret cum intentione resignandi; vide tamen quæ à n. 859. dicemus. 8. Si beneficia perdantur ob non delationem habitus clericalis. 9. Si provisus per Cardinalem non obtinuerit novam provisionem à S. Sede, citra montes intra 4. menses, ultra montes intra 8. menses. Prærequiritur tamen in his omnibus declaratio delicti. Vide *Castrop. p. 24.*

495 §. VII. Indultum ad conferenda beneficia reservata, non extenditur ad reservata duplici reservatione, nisi hoc exprimatur, *Alex. VII. apud Luca de benef. d. 3. n. 8. Gonz. ad Reg. 8. Gl. 13. à n. 81. & Gl. 25. n. 23 Nicol. t. 3. d. I. §. 13.* Probabiliter tamen dicitur id tantum intelligi de indultis, quæ illis dantur, qui ante reservationes non fuerunt ordinarii Collatores, Electores vel Patroni, in illis enim habent indulta vim specialis tantum privilegii, ideoque ad duplices reservationes non facile extenduntur, sed

consen-

sententur stricti juris; oppositum est circa illos, qui ante reservationes erant ordinarii Collatores, Electores vel Patroni, hi enim per indultum restituuntur suæ priori potestati, cui non obstabat ullum impedimentum, *Gonz. Gl. 24. à n. 24. & 68. Garc. p. 5. c. 5. n. 7. Nicol. t. 1. d. 8. Vide Steph. Grat. c. 278. & 972.*

§. VIII. Beneficia juris patronatus Laici vel mixti 496  
non cadunt sub reservatione, *Less. Leur. q. 117. & 118.* Excipit *Pias. p. 2. c. 5. a. I. n. 10.* si vacent in Curia, & Papa exprimat se juri patronatus derogare. Vide *Gonz. Gl. 18.*

§. IX. Beneficium, quod nemo possidet jure, si 497  
moriatur ille, qui solo facto possidet, cadit sub reservationem, dummodo hic possessor non fuerit violentus vel intrusus, *Gonz. Gl. 15. à n. 45. Leur. p. 3. q. 9.*

§. X. Si beneficiatus moriatur, v. g. 10. Janua- 498  
rii, qui est mensis Papæ, & Papa moriatur 20. ejusdem mensis necdum factâ beneficii provisione, Episcopus autem post tres menses Sede adhuc vacante conferat Titio, collatio est nulla, quia beneficium semel reservatum, etiamsi superveniat Sedes vacans, manet tale, usque ad dispositionem novi Pontificis, *Gonz. Luca. d. 24.* Excipiunt aliqui beneficia curata, ne administratore tam diu careant, de quo iterum plura habet *Luca d. 25.* Vide dicenda n. 602.

§. XI. Reservationi Pontificiæ satisficit, si Papa 499  
semel de beneficio reservato disposuerit, ideoque postea redit ad dispositionem ordinariam, uti omnes fatentur.

§. XII. Si beneficium fuerit in dispositione & ju- 500  
re Ordinarii, quando dabatur in commendam, cessante commendâ manet juris ordinarii, etiamsi vacaverit in Curia, vel aliquâ aliâ affectione videretur reservatum Papæ, *Pias. n. 8.* aliique.

§. XIII.

501 §. XIII. In Germania nulla beneficia reservantur, nisi quæ continentur in concordatis, de quibus jam dicam.

502 Q. 65. Quid notandum sit circa Concordata, præsertim Germania, & reservationes in iis contentas. R. Seqq.

§. I. *Clemens VII.* Papa pro conferendis beneficiis fecit specialia concordata cum regno Polonia, quæ videri possunt apud *Nicol.* pag. 264. Similia inivit cum regno Gallia *Leo X.*, quæ refert idem *Nicol.* pag. 273. Specialia etiam inivit *Eugenius IV.* cum Ecclesia Leodiensi, quæ refert *Nicol.* pag. 187. Denique etiam specialia inivit *Nicolaus V.* pro Germania, quorum hic est tenor Ex tom. 1. bullarii apud *Cheub.* pag. 281.

## CONCORDATA GERMANIÆ.

503 **A**D Sacram Petri Sedem divinâ dispositione sublimati, singulis, quæ pro universalis Ecclesiæ unioni ac pace & tranquillitate profutura cõspicimus, Apostolicæ providentiæ sollicitudine libenter intendimus, & ad felicem eorum prosecutionem & consummationem opem & operam impendimus efficaces.

I. Nuper siquidem Carissimus in Christo filius noster Fredericus Romanorum Rex Illustris, & nonnulli alii dilecti filii Ecclesiastici & sæculares Principes inclytæ nationis Germanicæ ex una, ac dilectus filius noster Joannes S. Angeli Diaconus Cardinalis in partibus illis Apostolicæ Sedis de Latere Legatus, per nos ad dictas partes missus, sufficienti desuper à nobis & Sede Apostolica auctoritate suffultus, ex aliis partibus, Romanæ Ecclesiæ & dictæ nationis nominibus, pro ipsis Ecclesiæ unioni, pace & tranquillitate

tate



tate inter Ecclesiam & nationem prædictam perpetuò solidandis & conservandis, diversa rationabilia & utilia ordinationes & statuta, à partibus ipsis hinc inde approbata, laudata, conclusa, acceptata & Concordata fecerunt ac ediderunt, nobisque humiliter supplicari fecerunt, ut illis pro firmiori eorum subsistentia robur Apostolicæ firmitatis adjicere nec non auctoritatem potiore & decretum interponere dignaremur.

2. Nos itaque, qui statuta, ordinationes & Concordata prædicta per nonnullos ex Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, magnarum maturitatis, auctoritatis & litteraturæ viros diligenter examinari & discuti fecimus, eaque rationabilia & salubria tam Ecclesiæ quàm nationi præfata fore comperimus, de dictorum & aliorum Venerabilium Fratrum nostrorum prædictæ Ecclesiæ Cardinalium consilio & assensu, Apostolicâ auctoritate & ex certa scientia approbamus, ratificamus, laudamus & acceptamus & præsentis scripti patrocinio communitus, juxta modum & formam subsequentes:

3. Placet nobis super Ecclesiarum & beneficiorum Ecclesiasticorum quorumcumque provisionibus, uti juris scripti reservationibus & *Execrabilis* & *ad Regimen* Constitutionibus modificatis, ut sequitur. Ad regimen Ecclesiæ Generalis, quanquam immeriti, supernâ dispositione vocati, gerimus in nostris desideriis, ut debemus, quod per nostræ diligentiae studium ad quarumlibet Ecclesiarum & Monasteriorum regimina & alia beneficia Ecclesiastica juxta Divinum beneplacitum & nostræ intentionis affectum viri assumantur idonei, qui præsent & profint committendis eis Ecclesiis, Monasteriis, beneficiis prælibatis: præmissorum itaque confide-

Q

ratio-

ratione inducti & suadentibus nobis aliis rationabilibus causis, nonnullorum Prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum vestigiis inhærentes, omnes Patriarchales, Archi-Episcopales & Episcopales Ecclesias, & etiam Monasteria, Prioratus, Dignitates, Personatus & Officia, necnon Canonicatus, Præbendas & Ecclesias, cæteraque beneficia Ecclesiastica, cum cura vel sine cura, sæcularia & regularia, quæcumque & qualiacumque fuerint, etiam si ad illa personæ consueverint seu debuerint per electionem seu quemvis alium modum assumi, nunc apud Sedem Apostolicam quocumque modo vacantia & in posterum vacatura, necnon per depositionem vel privationem seu translationem, per nos seu auctoritate nostrâ factas & in antea faciendas ubilibet, nec non ad quæ aliqui in concordia vel discordia electi sive postulati fuerint, quorum electio cassata seu postulatio repulsa vel per eos facta renunciatio & admissa auctoritate nostrâ extiterit, seu quorum electorum vel postulatorum & in antea eligendorum seu postulandorum electionem cassari, seu postulationem repelli, aut renuntiationem admitti per nos aut auctoritate nostrâ continget apud Sedem prædictam vel alibi ubicumque: ac etiam per obitum Cardinalium ejusdem Ecclesiæ Romanæ aut Officialium dictæ Sedis, quamdiu ipsa officia actualiter tenebunt (videlicet Vice-Cancellarii, Cameraarii, septem Notariorum, Auditoris litterarum contradictarum & Apostolici palatii Causarum Auditorum, Correctorum, centum & unius Scriptorum litterarum Apostolicarum & viginti quatuor Poenitentiaræ præfatæ Sedis, & vigintiquinque Abbreuiatorum, necnon verorum Commensalium nostrorum & aliorum viginti quatuor Capellanorum Sedis ejusdem in epitaphio descriptorum) & etiam quo-

quorumcumque Legatorum seu Collectorum ac in  
terris Romanæ Ecclesiæ Rectorum ac Thesaurario-  
rum deputatorum seu missorum hactenus vel depu-  
tandorum aut mittendorum impofterum, nunc va-  
cantia & in antea vacatura, ubicumque dictos Lega-  
tos vel Collectores seu Rectores & Thesaurarios, an-  
tequam ad Romanam Curiam redierint seu vene-  
rint, rebus eximi contigerit ab humanis, necnon quo-  
rumlibet pro quibuscumque negotiis ad Romanam  
Curiam venientium seu etiam recedentium ab ea-  
dem, si in locis à dicta Curia ultra duas dietas le-  
gales non distantibus jam forsân obierint vel eos in  
antea ab hac luce transire contigerit, ac etiam simili  
modo quorumcumque Curialium peregrinationis,  
infirmittatis seu recreationis vel aliâ quâcumque cau-  
sâ ad quævis loca secedentium, si eos, antequam ad  
dictam Curiam redierint, in locis ultra duas dietas  
ab eadem Curia, ut præmittitur, non remotis  
(dummodo eorum proprium domicilium non exi-  
stat ibidem) jam forsân decesserint vel impofterum  
eos contigerit de medio submoveri, etiam nunc per  
obitum hujusmodi vacantia vel in posterum vacatu-  
ra: rursus Monasteria, Prioratus, Dignitates, Per-  
sonatus, Decanatus, Administrationes, Officia,  
Canonicatus, Præbendas & Ecclesias, cæteraque be-  
neficia Ecclesiastica sæcularia & regularia, cum cura  
vel sine cura, quæcumque & qualiacumque fuerint,  
etiamsi ad illa personæ consueverint seu debuerint  
per electionem seu quemvis alium modum assumi,  
quæ promoti per nos seu auctoritate nostrâ ad Patri-  
archalium, Archiepiscopalium & Episcopalium Ec-  
clesiarum, necnon Monasteriorum regimina, obti-  
nebant tempore promotionum de ipsis factarum,  
nunc quocumque modo vacantia aut in posterum  
vacatura, necnon etiam per affecutionem pacificam

Q 2

quo-

quorumcumque Prioratum, Dignitatum, Personatum, Officiorum, Canonicatum, Præbendarum, Ecclesiarum aut beneficiorum aliorum per nos seu auctoritate nostrarum litterarum immediatè collatorum seu conferendorum impofterum, præterquam si virtute gratiæ expectatiuæ affectio fiet, nunc vacantia & in antea vacatura, plenâ super præmissis omnibus & singulis cum fratribus nostris collatione præhabitâ, & maturâ deliberatione secutâ, ordinationi, dispositioni ac provisioni nostrâ de ipsorum Fratrum consilio auctoritate Apostolicâ reservamus: decernentes ex nunc irritum & inane, si secus super præmissis & quolibet eorum per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

4. Item placet nobis, quòd in Metropolitanis & Cathedralibus etiam immediatè non subjectis Ecclesiis, & Monasteriis immediatè subjectis Sedi Apostolicæ fiant electiones Canonice, quæ ad dictam Sedem deferantur, quas etiam ad tempus Constitutionis fel. record. Nicolai Papæ III. quæ incipit, *Cupientes*, expectabimus, & elapso dicto tempore, si non præsentatæ, vel si præsentatæ, minùs Canonice fuerint, providebimus; & si Canonice fuerint, eas confirmabimus, nisi ex rationabili & evidenti causa, ac de dictorum Fratrum consilio, de digniori & utiliori persona duxerimus providendum, proviso, quòd confirmati prædicti & per nos provisivi Metropolitanis suis & aliis præstent debita iuramenta & alia, ad quæ de jure tenentur: & in Monasteriis dictæ Sedi immediatè non subjectis & aliis regularibus beneficiis, super quibus pro confirmatione vel provisione ad dictam Sedem non consuevit haberi recursus, electi seu illi, quibus providendum est, pro confirmatione & provisione hujusmodi ad Curiam

Roma-

Romanam venire non tenebuntur, ipsaque regularia beneficia sub gratiis expectativis non cadant: ubi autem pro Monasteriis ad dictam Curiam venire seu mittere consueverint, non aliter confirmabimus vel providebimus, quam superius de Cathedralibus Ecclesiis est expressum: & de Monasteriis Monialium non disponemus, nisi sint exempta, & tunc per commissionem ad partes.

5. De cæteris verò dignitatibus & beneficiis quibuscumque sæcularibus & regularibus vacaturis, ultra reservationes prædictas, (majoribus dignitatibus post Pontificales in Cathedralibus, & principalibus in Collegiatis Ecclesiis exceptis) de quibus jure ordinario providetur per illos inferiores, ad quos aliàs pertinet, placet etiam nobis, quòd per quamcumque aliam reservationem, gratiam expectativam aut quamvis aliam dispositionem, sub quacumque verborum forma, per nos vel auctoritate nostrâ factam vel faciendam, non impediemus nos, quominus de illis, cum vacabunt de *Februarii, Aprilis, Junii, Augusti, Octobris & Decembris* Mensibus, liberè disponatur per illos, ad quos eorum collatio, provisio, præsentatio, electio seu quævis alia dispositio pertinebat, reservatione aliâve quavis dispositione, auctoritate nostrâ factis vel faciendis, non obstantibus quibuscumque. Quoties verò aliquo vacante beneficio in *Januarii, Martii, Maij, Julij, Septembris & Novembris* Mensibus specialiter dispositioni dictæ Sedis reservatis, non apparuerit intra tres menses à die notæ vacationis in loco beneficii, quòd alicui de illo Apostolicâ auctoritate provisum fuerit, ex tunc & non antea Ordinarius vel alius, ad quem illius dispositio pertinebit, de illo liberè disponere poterit: & ad finem, ut hæc ordinatio collationum beneficiorum non reservatorum

per alternos menses possit per dictam nationem publicari, & omnes, qui eam gaudere voluerint, tempus congruum habeant eam acceptandi, tunc quoad dictam Sedem à Calendis Junii proximè futuris ipsa currere incipiet & durabit deinceps, nisi in futuro Concilio de consensu dictæ nationis aliter fuerit ordinatum.

6. Placet similiter nobis, quòd circa provisionem dictæ Sedis ordinandam modus annatarum hoc modo currat: de Ecclesiis Cathedralibus omnibus & Monasteriis virorum dumtaxat vacantibus & vacaturis solvantur de fructibus primi anni à die vacationis summæ pecuniarum in libris Camerae Apostolicæ taxatæ, quæ communia servitia nuncupantur, & si quæ excessivè taxatæ sunt, retaxentur, & quòd provideatur specialiter in gravatis regionibus secundùm qualitatem rerum, temporum, & regionum, ne nimium prægraventur, ad quòd petentibus dabimus Commissarios in partibus, qui diligenter inquirent & retaxent: taxæ autem prædictæ pro media parte infra annũ à die habitæ possessionis pacificæ totius vel majoris partis solvantur, & pro alia media parte infra annũ sequentẽ, & si infra annũ bis vel pluries vacaverit, semel tantum solvantur, nec debitum hujusmodi in successorem in Ecclesia vel Monasterio transeat: de cæteris verò Dignitatibus, Personatibus, Officiis & beneficiis sæcularibus ac regularibus quibuscumque, quæ auctoritate dictæ Sedis conferentur, vel de quibus providebitur (præterquam vigore gratiarum expectatarum aut causâ permutationis) solvantur annatæ seu medii fructus juxta taxam solitam à tempore possessionis intra annum, & debitum hujusmodi similiter in successorem in beneficio non transeat: sed de beneficiis, quæ valorem 24. florenorum auri de Camera non exce-

dunt,

dunt, nihil solvatur, duretque hæc observantia deinceps, nisi eam similiter in futuro Concilio de ipsius nationis consensu contingat immutari.

7. In aliis autem, quæ per Fel. Recordationis Eugenium Papam IV. etiam prædecessorem nostrum pro dicta natione usque ad tempus futuri Generalis Concilii permiffa, concessa, indulta & decreta, ac per nos confirmata fuerunt, in quantum illa Concordiæ præsentis non obviant, istâ vice nihil volumus immutatum: Et per hoc, quòd in Concordatis hujusmodi sive quibusvis aliis eorum occasione conficiendis litteris propter compendiosiore descriptionem Alemannia specialiter appellatur, natio ipsa censi non debet à Germanica natione distincta seu quomodolibet separata.

8. Et præterea, quia difficile foret præsentis litteras ad singula, in quibus de eis forsan fides facienda fuerit, loca deferri, eâdem Apostolicâ auctoritate decernimus, quòd ipsarum transumpto Metropolitanorum dictæ nationis sigillo munito, tanquam præsentibus, si exhiberentur, litteris plena fides adhibeatur, & perinde stetur, ac si dictæ præsentis litteræ forent exhibitæ vel ostensæ: & insuper quòque irritum & inane, si secus super his à quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

9. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, ratificationis, laudationis, acceptationis, commutationis, reservationis, Constitutionis & voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romæ apud S. Petrum anno 1447. Calendis Aprilis, Pontificatus nostri anno secundo.

504 §. II. Si per indultum Papæ ante Concordata Germaniæ datum sit privilegium, v. g. eligendi Decanum, hoc defuit per Concordata, quia inita sunt pro communi concordia, & omnes privati collatores ac patroni coacti sunt cedere omnibus juribus, consuetudinibus, privilegiis, quæ his Concordatis obstarent, *Leonin. conf. 50. Branden q. 2. & seqq. Nicol. t. 3. d. 1. & 2.*

505 §. III. Sub concordatis Germaniæ per extensionem continentur, Ecclesia Virdunensis, Metensis, secundum aliquos, Genuensis. Ad Imperium spectant Ecclesiæ, Nivellensis, Cameracensis, Trajectensis ad Mosam. Eadem Concordata recepit Ecclesia Leodiensis, non item Herbipolensis & Bambergensis, quamvis sint in Germania, quæ tamen Ecclesiæ adhuc recipere possent: Et non fuisse ab initio obligationem recipiendi putat *Zypaus* contra *Leonin. Brand. Nicol. Chok. & alios*, quamvis nunc, cum recepta sunt, sit iis standum, etiam vacante Sede Papali, *Zypaus, Pirb.* Vide *Leur. p. 2. q. 590. & seqq. Engel* tamen putat Ordinarios Sede vacante posse conferre beneficia, sed contradicunt alii cum *Barbos. de pot. Epif. all. 57. n. 62. Nicol. t. 1. d. 8. §. 14.*, eò quòd Concordata sint perpetua. Vide *Leur. q. 600. & dicta n. 498.*

506 §. IV. Quæ beneficia per Concordata reserventur, patet ex verbis: Inter cætera reservatur dignitas major post Pontificalem in Cathedralibus & principalis in Collegiatis, etiamsi ante diem promotionis vel assumptionis ad Episcopatum dimittantur vel resignentur in manus Ordinarii, *Chok. Brand. Leur. q. 598. n. 4.* Major autem & principalis dignitas est Præpositura, & ubi in Collegiatis nulla est Præpositura, principalis dignitas est Decanatus, *Nicol. d. 1. §. 10.*; notantque *Genz. & Engel l. 3. t. 5. n. 236.*



n. 23. in singulis Ecclesiis tantum unam reservari. Quod si Præpositura sit exempta à reservatione, putat *Lott.* l. 2. q. 33. n. 43. Decanatum reservari, sed oppositum habet praxis in multis Cathedralibus, in quibus Præpositura est exempta, & tamen Decanatus manet sub electione Capitularium. Nulla autem Canonica vel Dignitas apud Canonessas cadit sub ullam reservationem, *Corr.* l. I. c. 5. n. 146. Attamen beneficia, super quibus datur Coadjutoria perpetua cum futura successione, cadunt sub Concordata, uti dicitur n. 720.

§. V. Leodienses per indultum possunt conferre illas primas dignitates electivas, dummodo intra 30. dies à vacatione fiat electio, & confirmatio Romæ petatur infra 6. menses à die electionis. Simile indultum eligendi Præpositum habent Ecclesia Augustana & Monasteriensis in Westphalia. 507

§. VI. Si quis per Papam promotus, v. g. ad Episcopatum, per dispensationem retineat priora beneficia, putat *Castrop.* T. 13. d. 2. p. 17. n. 3. hæc non esse reservata vel affecta, ideoque cadere sub dispositionem ordinariam; consentit *Engel* n. 16., allegans Rotam: Rationes sunt, 1. Quia Concordata tantum loquuntur de beneficiis per promotionem vacantibus, sed talia beneficia non vacant per promotionem; nam manent apud priorem possessorem ergo. 2. Omnis reservatio est odiosa, uti dicitur n. 1004., ergo extendi non debet ultra verba clara, ergo cum *Extrav. Ad Regimen*, reservet sola beneficia vacantia per promotionem, extendi non debet ad vacantia aliter, v. g. per resignationem aut postea per obitum. 3. Reservatio exhauritur, si Papa semel disposuerit de beneficio reservato, secundum dicta n. 499., sed relinquendo illa promotus disponit de illis, idem enim est ac si conferat de no- 508

vo, ergo sicuti si contulisset alteri, hoc ipso satisfactum esset reservationi, ita si relinquat promotio. *Conf.* nam vel tale beneficium vacavit per promotionem vel non; si vacavit, Papa de eo iterum disposuit, ergo cessat reservatio; si non vacavit per promotionem, ergo non est reservatum. 4. Talia beneficia possunt à promotio resignari, uti habet praxis, & docent *Paris.* l. 3. q. I. n. 86. & *Castrop.* suprà; quia dispensatus habet idem jus in beneficiis, ergo cùm ante promotionem haberet jus resignandi, etiam habet post eam, ergo signum est nullam amplius adesse reservationem. Oppositum tenent *Simonet. Barb.*, quia verba Extravagantis sunt generalia, ita enim habent, *beneficia, qua obtinebant tempore promotionis, nunc vacantia & in antè vacatura*, ergo beneficia debent generaliter censi reservata, quòd cùnque sunt vacatura: Hinc dicendum videtur, quòd Extrav., & consequenter Concordata, intelligantur de vacatione sive præsente sive futura per promotionem seu ratione promotionis, quod etiam probat stylus Curia, nam Anno 1702. ex illo fundamento contulit Papa Canonatum Episcopi Hildesienfis in Augusto mortui: atque ex his patet responsio *ad 1. & 2. Ad 3. R.* Papam non plenè disposuisse de illo beneficio relicto, alioqui provisos deberet iterum solvere statuta, iterum emancipari & esse junior &c., unde argumentor à contrario, nam dato, quòd tale beneficium non sit reservatum, tamen ab initio est affectum, uti declarabitur à n. 521., ergo consequenter manet affectum, donec Papa de eo semel plenè disposuerit. *Ad 4.* possunt quidem resignari, uti omnia aliàs reservata, sed non possunt nisi apud Papam, hinc cùm Maximilianus Henricus Archiepiscopus Colonienfis ejusmodi Canonatum resignasset

signasset in mense Ordinarii, non permittit Papa, ut Turnarius illum conferret, sed ipse de eo providit.

§. VII Licet, quando Papa alicui generatim concedit facultatem conferendi beneficia quæcumque, aut mandat provideri alicui de quibuscunque beneficiis, hac generali concessione vel mandato non comprehendantur curata, attamen comprehenduntur generali dispositione Concordatorum, si sint patronatus Ecclesiastici, *Pirb. de præb. n. 362. Nicol. d. 6. §. 1. Leur. q. 599. n. 4.* Similiter consuetudo interpretatur, quod beneficia etiam litigiosa comprehendantur Concordatis, *Rebuff. Tond. Luca, Leur. n. 5.* Etiam beneficia monocularia, *Nicol. d. 2. §. 3.* Non tamen Vicariæ perpetuæ parochialium unitarum Dignitatibus, Ecclesiis Cathedralibus vel Collegiatis, Monasteriis, Collegiis, piis locis, *Nicol. d. 6. §. 9.* Nec beneficia, ad quæ quis per Papam habet regressum, *Nicol. d. 8. §. 5. Brand. q. II. n. I.*

§. VIII. Docent *Garc. Brand. Nicol. d. 1. §. 16.* Decanatus, Scholasterias aliasque omnes Dignitates inferiores, aut officia perpetua, etiam si sint electiva, cadere sub alternativam Concordatorum, nisi aliunde sit privilegium: similiter beneficia in mensibus Papæ vacantia per affectationem secundi incompatibilis, per privationem, per matrimonium, per ingressum Religionis, probabiliter sunt reservata Papæ per Concordata, *Zerol. p. 2. v. Alternativa §. 1.*; imò *Chok. & Nicol. §. 22.* dicunt etiam esse reservata Papæ, licet ita vacent in mensibus Ordinarii, putant enim hoc ipso esse affecta, quod vacent ipso jure; & sic constat affecta ac Papæ reservata esse, quæ vacant propter hæresin, simoniam, non publicatam resignationem, uti constat ex *Constit. Pij. IV. & V. ac Gregorii XIII.* apud *Nicol. supra & Brand. q. 10.*, sed quoad priora contradicit *Engel. n. 18.* Putat

tat etiam *Brand.* q. 9. vacantia per promotionem ad Abbatiam vel quodvis aliud regimen Ecclesiæ, cadere sub Concordata, sed attendendum est, quomodo interpretetur consuetudo: saltem per obtentionem Episcopatus titularis in partibus infidelium non reservantur nec vacant beneficia, quia non stat per hos promotos, quominus assequantur possessionem, *Nicol.* §. 24. Similiter officia Ecclesiastica Custodis, Cellerarii, Protonotarii & similia ad nutum amovibilia non cadunt sub reservationem per Concordata, *Nicol.* d. 3. §. 2.

511 §. IX. Vacantia per resignationem apud Ordinarium non cadunt sub Concordata, hinc Episcopi possunt in omni mense admittere resignationes simplices, item conferre ea beneficia, etiam in mensibus Papæ resignata, quæ alioqui erant in dispositione eorum, si per obitum vacassent in mensibus non reservatis Papæ, *Brand. Gonz.* Gl. 14. n. 31. *Pias.* p. 2. c. 5. a. 2. n. 3. *Chok.* ad reg. 8. Gl. n. n. 29. & ad reg. 24. n. 19. & seqq. *Nicol.* d. 9. §. 9., sic enim dicitur etiam in Reg. 8. Cancell. *aliàs quàm per resignationem quocumque modo vacatura*, unde quando in Constitutione, *Ad regimen*, dicitur beneficia etiam per renuntiationem vacantia reservari, intelligitur, si renuntiatio sit per Sedem Apostolicam admissa Romæ vel alibi, uti explicat *Engel* n. 15.

512 §. X. Si familiaritas, vi cuius, secundum dicta n. 492, beneficium reservatur Papæ, fuerit ante mortem dimissa, putant aliqui manere reservationem, non obstantibus Concordatis Germaniæ, sed tenendum est oppositum cum *Rebuff. Mohed. Lot.* l. 2. q. 28. à n. 64. & q. 32. n. 152. *Fagn.* in c. *Nullus*, de Elect. n. 11. *Puteo* decis. 41. n. 1. l. 1. *Chok.* reg. 10. à n. 8. *Zyp.* in. Resp. Can. Resp. 1. n. 10. de Rescrip. *Luc.* de benef. d. 3. n. 11. & d. 11. n. 3. & 52. Ratio est,

est, quia Concordata expressè dicunt beneficia Officialium & Familiarium tamdiu esse reservata, quamdiu ipsa officia *actualiter* tenebunt: Tò *quamdiu* autè alligat ad tempus, uti de legato viduæ relicto dicitur, quamdiu vidua remanserit, duraturum, uti latè *Mantica* de coniect. ult. volunt. l. II. t. 19. à n. 22. Item sicuti ex Reg. II. Cancel. Episcopi gaudent alternativà *quamdiu* resederint, ita ut momento, quo cessat residentia, cesset jus alternativæ, uti n. 477. dictum est, maximè cùm hic addatur, *actualiter* tenebunt, & ubi verba sunt clara, cessat interpretatio, uti dicitur n. 541., est autem notum, quòd Tò *actualiù* nō significet eos, qui tantùm gaudent eo nomine, aut tantùm fictione juris tales sunt, aut qui tales fuerunt, uti rectè *Gonz.* Gl. 43. n. 15. Et hinc etià Concordatis insertæ sunt voces, non tantùm hæ, *quamdiu actualiter* tenebunt, sed etiam illæ, *verorum* Commensalium, ut excludantur, qui verè non deserviunt, quia sunt tantùm titulares, v. g. Camerarii honoris, quamvis etiam hi comprehendantur in Reg. 7. Cancellariæ, veri autem commensales dignoscuntur ex *mente & dente*: Ex mente, si ex animi destinatione assumpti sint ad aliquod ministerium Papæ realiter exhibendum; Ex dente, si ideo alimenta habeant, *Lott.* q. 32. à n. 1. *Nec obstat* 1., beneficia illa fuisse aliquando affecta reservatione, semel autem affecta maneat affecta, secundùm Extrav. communem, *Ad Romani*, 14 de præb., *nam* vi Concordatorum etiam absolvuntur, sicuti beneficia litigiosa affecta sunt reservatione, sed lite cessante definit reservatio, ita disponente Ecclesiâ, *Lott.* q. 20. à n. 67.

*Nec 2. obstat*, quòd Papæ adhuc post Concordata reservent, *nam* hæ subsequentes reservationes non tangunt nationem Germanicam, Concordata enim expressè dicunt alias omnes reservationes factas

ctas vel faciendas non habere locum; nec volunt Papæ agere contra Concordata, ordinariè loquendo, uti dicitur n. 519.

513 XI. Quamvis Concordata explicari debeant in favorem Ordinariorum, cum reducant ad jus commune, *Luca, Chok. Levr, q. 597.*, tamen non tantum Papa potest concurrere & prævenire Ordinarios, secundum dicta à n. 469. sed etiam Nuntius à Latere, cum ipse etiam sit Ordinarius in sua Provincia: meritò tamen non solet Papa vel Nuntius id facere, uti dictum est n. 472.; & quoad Concordata dicitur n. 519. Vide etiam *Illsung t. 5. n. 191.*

514 §. XII. Si fundatio patronatus Ecclesiastici expressè reservet alteri quam Papæ collationem beneficii, pro quocumque mense vacaverit, adhuc dicunt *Parif. Gonz. Piasec. VVames. Nicol. apud Levr. q. 598. n. 5.* non præjudicari Papæ, sed hunc posse conferre, si in ejus mense vacet, I. quia nulla fundatio potest facere, ut Papa careat potestate absolutà sibi à Christo traditâ disponendi de beneficiis. 2. Quia Papa necessariò manet Ordinarius & Superior omnium Ordinariorum ac Collatorum, ergo debet posse, quod hi possunt: 3. Quia Papa in Concordatis derogat omnibus juribus & dispositionibus contrariis, ergo talis fundatio non subsistit, nec ab Episcopo admitti potest. *Nec obstat*, quòd quisvis possit de rebus suis disponere pro libitu suo, *nam* non ideo potest evertere jura desuper statuta, hinc *Cap. Requisivisti*, de testam. dicitur, *privata dispositio testatoris non potest generalem constitutionem Canonis immutare*: ita illi. Hæ rationes id tantum evincunt, quòd talis fundator non possit Papam excludere, si Papa non censeatur consentire, fortè autem censeatur consentire, nam Ecclesia permittit, ut condiciones etiam juri communi contrariæ in limine fundationis

nis

nis appositæ admittantur, uti dicemus n. 808. Et hoc saltem fatendum est cum *Nicol. d. 4. §. 4.*, quæcumque beneficia posse ab illis, qui fundant, conferri primâ vice, etiam in mense Papali.

§. XIII. Beneficia juris patronatûs laici non cadunt sub reservationem Concordatorum, *Nicol. d. 5. §. 8. 10. 11.* Si tamen patronus laicus fiat ecclesiasticus (de quo dictum est n. 332.) beneficia hæc veniunt sub alternativam Concordatorum, *Nicol. §. 4.* Quòd si beneficium ex fundatione laicale nunc per præscriptionem immemoriam quasi liberè & absque ullius præsentatione conferatur, v. g. ab Archidiacono, cujus antea erat solùm instituere, quamvis fortè dici posset, quòd extinctus non sit patronatus laicus, sed Archidiaconus conferat ex vi utriusque juris in eadem persona consolidati, adeoque beneficium non cadat sub reservationem, sicuti si Archidiaconus habens instituere emeret castrum, cui patronatus Laicus est annexus, beneficium tale non ideo est reservatum, sed manet patronatûs laici, quali modo dicitur aliquis Episcopus Monasteriensis quâ Princeps ex bonis propriis fundasse Capitula aliqua suæ diocesis, ideoque beneficia in illis dicuntur patronatûs laici, ita ut Episcopus quâ Princeps videatur esse patronus, quâ Episcopus sit instituens; si tamen præsumi debeat, quòd jus patronatûs laicale reipsa extinctum sit, & præscriptum jus liberè conferendi beneficium, cadet sub reservationem, quia jam mutata est ejus natura.

§. XIV. Beneficia juris patronatûs mixti habent se hîc, uti si sint juris patronatûs laici, secundùm dicta n. 333., quod fatetur etiam *Nicol. §. 15.*, saltem si Patroni laici sint numero æquales Ecclesiasticis: addit tamen, si patronatûs laicus competeret ex præscriptione, consuetudine, privilegio, usurpatione  
aut

aut alio simili modo, beneficium hujus patronatus cadere sub Concordata.

517 §. XV. Circa hoc, quod in Concordatis dicitur, ut quando beneficium vacat in mense Papæ, si non apparuerit intra tres menses à die notæ vacationis in loco beneficii, quòd alicui de illo Apostolicâ auctoritate provisum fuerit, tunc providere possit collator ordinarius, dedit *Gregorius XIII.* hanc quasi declarationem in *Const. Quæ in Ecclesiam*, 1. Nov. 1576., quòd provisus apostolicè teneantur intra tres menses à die notæ vacationis in loco beneficii publicare, se Apostolicè esse provisos: si tamen Papa providerit, & hæc publicatio fuerit neglecta, quamvis Ordinarius etiam providerit, Papæ provisio manet valida; si autem intra tres illos menses non fit facta publicatio, & Ordinarius rescierit Papam intra illos menses non providisse, ut tunc priùs validè provideat Ordinarius, *Brand. Engel, Pirb. Leur.* q. 599. n. 9. Notant tamen *VVames. Chok. Zyp. & Nicol.* d. 1. §. 14. Constit. illam *Gregorii* minus observari, quia emanavit inconsultâ natione Germanicâ.

*Q. 66. An Papa possit vel soleat derogare Concordatis. R.*

518 §. I. Non potest passim pro arbitrio & sine legitima causa, quia etiam Princeps cum subdito contrahens obligatur naturaliter, & civiliter, uti habent jura & DD. apud *Chok.* ad preces primar. sect. 5. §. 2. n. 15. & apud *Nicol.* T. 3. d. 3. §. 2. & seqq. Nihilominus absolutè loquendo posset ex plenitudine potestatis, etiam extra Concilium, derogare ob causam gravem & extraordinariam concernentem commune bonum Ecclesiæ, uti sequitur ex dictis n. 469. & docentque AA. ex his rationibus, 1. Quia habet ita plenam à Christo potestatem, ut hanc à se omnino abdicare non possit. 2. Quia hæc Concordata, licèt habeant



habeant aliquam vim pacti, uti fatetur *Iulius III.* apud *Nicol.*, tamen magis sunt privilegium papale, ad quem primitus spectabat omnis beneficii provi- sio; privilegia autem revocari possunt ex causa. 3. Quia quomocunque paciscatur Papa, maximè cum sibi subdito, semper includitur hæc conditio, nisi occurrat causa gravis extraordinaria, ob quam aliud postulet commune bonum Ecclesiæ, in ordine ad quod Concordata sunt facta, medium enim de- finit esse medium & negligi debet, quando obstat fi- ni intento, *Felin. Svar. Paris. Diana, Simonet. Laym. VVames. Brand. Menoch. Garcias, Luca.* Vide *Chok. & Nicol. §. 5. & seqq. Item Leur. p. 2. q. 595.*, ubi ostendunt Papam quandoque ex simili cau- sa derogasse.

§. II. Papæ non solent derogare Concordatis, 519 nisi in casibus necessariis, *Nicol. supra.* Et si quan- doque egerint contra Concordata, postea declara- runt non fuisse mentem suam, sed sub-vel obrepti- tiè fuisse informatos; & ita *Iulius III.* apud *Nicol. d. 1. §. 2.* dicit, *Nos attendentes Concordata præ- dicta vim pacti intra partes habere, & quæ ex pacto constant, absque partium consensu abrogari non con- suevisse neque debere. . . . statuimus & ordinamus atque decernimus, quòd de cætero perpetuis futuris temporibus iidem Ordinarii. . . . juxta ipsorum Concordatorum continentiam & tenorem disponere liberè & licitè possint. . . . ac irritum & inane existat, si secus à quoquam super his quavis autho- ritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, non obstantibus &c.* Similiter *Clemens VIII.* apud *Nicol. §. 6.* commendat *Rudolpho II.* Imperatori, ut Concordata Germanica tanto pondere sancita nul- lo modo violari aut imminui patiatur. Similiter *Paulus V.* apud *Chok. supra & Nicol. §. ult.* decla-  
R
ravie

ravit, nec *Clementis VIII.* prædecessoris, nec suam unquam mentem fuisse derogare Concordatis: simili modo scripsit *Vrbanus VIII.* suo legato apud *Ferdinandum II.*, uti habet *Nicol.* §. 6. Nec refert, quòd in provisione Concordatis contraria fiat generalis derogatio, quia Concordata semper censentur excepta, nec per clausulas quantumcunque generales & prægnantes eis derogatur, *Crescent. Put. Gonz.* & alii cum *Lott.* lib. 2. q. 28. n. 65. Præclare dixit *S. Gregorius M.*, relatus *Cap. Iustitia*, 25. q. 1. *Iustitia ac rationis ordo suadet, ut qui à suis successoribus mandata sua servari desiderat, prædecessoris sui voluntatem ac statuta quòque observet.* Vide similia ibidem c. *Quæ ad perpetuam*, dicta à *S. Leone M.* Item cap. *Ideo*, à *S. Leone IV.*, quæ maximè tenent, quando ejusmodi pacta, non tam nomine prædecessoris, quàm dignitatis & officii concepta sunt, quia successor tunc censetur eadem persona cum antecessore, *Chok.* suprà.

- 20 Q 67. *An præscribi possit contra Concordata.* R. Non posse præscribi, nec contrariâ consuetudine illis derogari, etiam pro foro interno, docent *Leonin. Brand. Nicol.* t. 3. d. 2. §. 3. *Pirh.* l. 3. t. 5. n. 363. *Leur.* p. 2. q. 593. . I. Quia usus & observantia universalis apud ferè omnes Germaniæ Ecclesias impedit particularem præscriptionem hujus vel illius Ecclesiæ, ex vi inseparabilis connexitatis, quam habent inter se partes & totum. 2. Quia constanter ita judicatur in Curia Romana, secundùm decretum *Greg. XIII.* apud *Nicol.* §. 25., Illis autem quæ in foro externo servantur, debemus nos conformare in foro interno, quando externum non nititur falsâ præsumptione nec sententia Judicis agentem damnat in poenam, uti fusè ex *Bald. Nav.* & aliis *Sanch.* in *Decal.* l. I. c. 10. n. II, & de *Matr.* l. 2. d. 41. n. 12. 3.

Quia

Quia ius publicæ utilitatis, unionis & tranquillitatis, quæsitum ex Concordatis toti Imperio, non potest ullis subditorum factis vel usibus immutari aut tolli, tam parum quàm Clerici possint se abdicare privilegio fori. 4. Quia contra leges Pontificias nullo usu seu consuetudine contrariâ præscribitur sine positivâ & certa scientiâ Papæ, uti latè Rota apud *Nicol.* t. 1. d. 1. §. 5., docentque *Gonz.* in Cap. ult. de Consuet. n. 14. *Vasq.* I. 2. q. 97. a. 3. d. 277. c. 7. n. 62. *Pirh.* l. 1. t. 8. n. 60., quia nempe Papa habet potestatem suam, non à populo, uti Principes seculares, sed immediatè à Christo, adeoque decreta illius nullâ egent approbatione vel consensu subditorum, sed mox ut promulgata innotescunt, obligant ad receptionem & observantiam, *Suar.* de leg. l. 4. c. 15. à n. 3. *Diana* p. 6. t. 6. R. 39. 5. Quia Papa in his Concordatis expressè derogat omnibus consuetudinibus contrariis præteritis & futuris, & quidem per decretum absolutè irritans, quod elidit vim omnium actuum contrariorum, uti dicitur n. 657., facitque nequidem colorem tribui posse in iudicio possessorio summariissimo manutentionis, pro quo decisiones plurimas affert *Nicol.* §. 9., & *Clemens VII.* apud eundem §. 12. motu proprio & de Apostolicæ potestatis plenitudine declarat quascunque collationes contra formam Concordatorum faciendas nullum titulum vel colorem tribuere, sed provisos pro malæ fidei possessoribus & merè intrusis habendos. Adde, quòd ubi Papæ cognoverunt contraventum esse, prorsus improbarint, uti n. 519. dictum est: similiter Imperatores in capitulationibus suis spondent se curaturos, ut Concordata observentur, uti factum à *Ferdinando IV.* teste *Nicol.* §. 8. Item à *Leopoldo I.* Capitul. 9. & à *Iosepho I.* Capitul. 18., ergo sufficienter eliditur

omnis consuetudo etiam secutura, posse enim per  
ejusmodi leges obviari consuetudinibus futuris, do-  
cet *Carden.* in 1. crisi. p. 2. d. 29. c. 2. a. 2. & seqq.

E contra *Zyp.* Consult. Canon. l. 3. ad tit. de  
præb. consult. 3. putat his Concordatis derogari  
posse per præscriptionem, per non usum, vel per  
contrarium usum: consentit *Engel* l. 3. t. 5. n. 54.  
Rationes sunt, 1. Quia præscriptio saltem imme-  
morialis procedit contra Papam, quia cum ea allegari  
potest quivis titulus, Cap. *Ad audientiam* 13.  
Cap. *Cum vobis* 14. Cap. *Si diligenti* 17., de præ-  
scrip. 2. Docet *Sanch.* de Matr. l. 7. d. 4. consue-  
tudinè contraria aboleri posse impedimentum ali-  
quod dirimens Matrimonii, adeoque legem, quæ  
universalis est, ac involvit decretum irritans: Simi-  
lia de consuetudine habent *Castrop.* T. 3. d. 3. §. 2. à  
n. 6. *Laym.* in c. ult. de Consuet. n. 6. *Pirb.* l. 1. t. 1.  
§. n. 58. 63. 65. & seqq. 3. Durum videtur dam-  
nare ut invalidas omnes provisiones in Germania  
factas contra Concordata, sanè *Laym.* in Th. Mor.  
L. 4. t. 2. c. 10. n. 3. & *Pirb.* l. 3. t. 5. n. 362. docent  
per Concordata reservari Papæ beneficia etiam cu-  
rata in mensibus Pontificiis vacantia, idque indubi-  
tatum esse asserit *Nicol.* t. 1. d. 6. §. 1. & 5, & ta-  
men passim providentur ab aliis in hisce partibus,  
etiam sæpe sine concursu. *Ad* 1. rationem opposi-  
tam dicunt, sæpe aliqua obligare universalem Ec-  
clesiam, contra quæ consuetudo particularium Ec-  
clesiarum præscripserit, sic in Hispania Sabbathis  
Catholici vescuntur intestinis, in Belgio Sabbathis  
inter nativitatem & purificationem vescuntur car-  
nibus, uti & Mediolani primis diebus quadragesimæ  
&c. *Ad* 2. Curiam Romanam sic judicantem præ-  
sumere non adesse omnia ad præscriptionem re-  
quisita. *Ad* 3. Malè supponi nullâ consuetudine  
induci

induci posse, ut Clericus in quibusdam subjiciatur foro Laico, nam Abbatissæ, quæ Laicæ sunt, in multis Germaniæ & Belgii locis jurisdictionem habent in Clericos, idque ex sola consuetudine, saltem apud Canonessas, cum talium vivendi ritus à Papa non sit approbatus, secundum dicta n. 229. Similiter tantum consuetudine videtur fieri, quod causæ reales & civiles, etiam inter Clericos, agitentur in foro seculari, cum juxta Cap. *Quod Clerici*, 9. de foro compet. videantur spectare ad forum Ecclesiasticum: sed adhuc est disparitas inter hanc materiam & Clericum se subjicientem laico, nam hoc præjudicat dignitati Ordinis Clericalis, illud autem, quod quædam beneficia ab inferioribus conferantur in mensibus Papæ, non præjudicat dignitati Papæ. *Ad 4.* Oppositum constat ex dictis l. 1. n. 632., & probatur à *Laym.* in Cap. ult. de Consuetud. n. 3, quia Papa ibi tribuit legitimæ consuetudini, ut abrogare possit legem Ecclesiasticam, & *Tusch.* lit. C. Concl. 797. docet consuetudine immemorabili præsumi scientiam & patientiam, imò Concl. 873. negat in ea requiri scientiam & patientiam Principis. *Ad 5.* Possesse contra decretum irritans præscribi, satis probabiliter docent *Suar.* de leg. l. 7. c. 19. n. 14. *Sanch.* & *Pirh.* suprâ, probatque *Zyp.*, quia clausula irritans est tantum pars, & quidem accessoria legis, ergo sicuti potest præscribi contra legem, ita, & multò magis, contra clausulam irritantem: similiter intelligunt Constitutiones Pontificum n. 519. citatas: itemque Capitul. Imperatorum, nempe quod loquantur de Concordatis, ubi & quoad illa, quæ adhuc sunt in usu.

His utrimque propositis interrogatus à me vir Doctissimus, quid sentiret, Respondit sententiam primam esse valde probabilem, attamen se

propendere, ut etiam secundam probabilem esse censeret.

521 Q. 68. Quid dicendum sit de affectione beneficii per appositionem manuum Papæ. R. Seqq.

§. I. Reservatio & affectio per hoc differunt, quod reservatio respiciat actum verbalem & expressum, uti si Papa voce vel constitutione dicat se reservare tale beneficium, & plerumque pro semper; affectio autem respiciat actum realem seu factum, ex quo tacita reservatio oritur, uti si Papa incipiat disponere de beneficio, & tunc dicitur apponere manum, *Gonz. ad Reg. 8. Cancel. Gl. 52. n. 4. Castrop. t. 13. d. 2. p. 15. n. 4.*

522 §. II. Manûs appositio plus habet efficaciam, quam reservatio, uti cum alii *Gonz. n. 9.* Deinde affectio habet locum etiam in aliis quam beneficiis, nam ordinatus Minoribus à Papa non potest ordinari Majoribus ab alio, nequidem à proprio Episcopo, *Cap. Cum in distribuendis, de tempor. ordinat.* Item ordinatus à Papa non potest ob delictum degradari ab Episcopo: Item hoc ipso quod Papa cœperit cognoscere de aliqua causa aut commissionem aliquam signaverit, censetur revocata à iudicibus inferioribus, *Cap. Ut nostrum 56. de appellat.* Et causa semel facta curialis per appositionem manûs Papalis, semper manet curialis. Item, si Papa commisit alicui executionem litterarum provisionis beneficii, alius se immiscere non potest; idem est, si post demandatam alicui executionem, Papa huic apponat manum. Denique si Papa contulit privilegium, ad ipsum spectat ejus declaratio vel interpretatio.

523 §. III. Beneficia per appositionem manûs Pontificiæ affecta non possunt pro ea vice conferri ab inferiore, *Extrav. comm. Ad Romani, 14. de præb. Inn. Abb. Piafer. p. 2. c. 5. a. 1. n. 8.*

§. IV.

§. IV. Papa apponit manum, 1. si beneficium suæ collationis det in commendam, aut uniat ad vitam alicujus. 2. Si mandet alicui provideri de primo vacante. 3. Si in provisione apponat decretum, ut in manibus suis resignetur, nam si resignetur, est affectum. 4. Si volens prævenire Ordinarium, conferat, etiam invalidè. 5. Si quis resignet beneficium, aut, 6. etiam jus ad rem in manus Papæ, etiam in mense Ordinarii. 7. Si mandet non procedi ad electionem pro aliquo beneficio. 8. Si discutiat validitatem electionis alioqui cõfirmandæ ab Ordinario, Confirmatio est affecta. 9. Si ex Papæ mandato aliquis privetur beneficio. 10. Si quis habeat collationem à Papa & indigeat dispensatione, solus Papa dispensare potest. 11. Si habens collationem à Papa, etiam petat ab Ordinario. Addit *Pias.*, si Papa conferat inhabili, aut si ab eo collatum vacet propter inhabilitatem: beneficia autem, quæ resignantur apud Papam, tum primùm afficiuntur per appositionem manûs Pontificiæ, quando supplica est à Pontifice signata & à Datario recognita; vivo adhuc resignante. Vide *Gonz.* à n. II.

§. V. Affectio non habet locum, 1. Si Papa apposerit manum ad alium effectum quàm conferendi, v. g. ad imponendam pensionem. 2. Si falsò narratum fuit, quòd beneficium esset reservatum, & ideo Papa conferre voluit. 3. Si beneficium permutationis causâ vel in favorem alicujus resignatum, aut etiam ob delictum vel negligentiam beneficiati impetrandum conferre voluerit Papa, & interea vacet per obitum. 4. Si beneficium sit juris patronatûs laicalis aut mixti. 5. Si ex tali manûs appositione resultaret præjudicium Concordatorum. 6. Si Ordinarius prior contulit Cajo, & Papa posterior Titio, Cajo autem nolit acceptare. 7. Si

appositio manûs semel sit sortita effectum per provisionem securam. Vide *Gonz.* à n. 38.

526 Q. 69. Quid notandum sit circa possessionem pacificam & beneficium litigiosum. R. Seqq.

§. I. Possessio tum est pacifica, si nulla lis vel controversia circa illam vel circa beneficium sit mota: Putant autem cum aliis *Lott.* l. 2. q. 52. à n. 31. *Luca* de benef. d. 91. n. 22. & d. 92. n. 11. tum non esse pacificam possessionem, si lis etiam nulliter & merè de facto, attamen coram Iudice competente sit mota, etiam tantùm circa possessorium: item si lis coram quocunque sit mota, simulque illatæ molestiæ & facta turbatio circa jus percipiendi fructus: Addit *Hann.* de Just. t. 5. n. 276. etiam tum non esse pacificam, si facta sit citatio vel appellatio etiam extrajudicialis, sed putant alii cum *Sanch.* in Conf. l. 2. c. 1. d. 27. saltem non officere verbalem & extrajudicialem controversiam. Vide *Leur.* p. 2. q. 834.

527 §. II. Ut beneficium ipsum fiat litigiosum, docent *Inn. Bald. Glos. Lott.* & alii, requiri ut sit collatum, & tum litigetur, ad quem pertineat, ac consequenter non sufficere, quòd petatur beneficium conferri; & pro hoc referuntur plures *Rotæ* decisiones apud *Rosa* de Exec. litt. Apost. p. I. c. 17. à n. 71., qui tamen cum *Garc.* p. 11. c. 3 à n. 75. & aliis concludit oppositum, nempe beneficium etiam nulli adhuc collatum fieri posse litigiosum: & de hoc iterum disputat in utramque partem *Rosa* à n. 81., & iterum à n. 112., afferens contrarias decisiones *Rotæ*, sed à n. 114. concludit cum *Ferentil.*, in beneficiis, quæ conferuntur per electionem vel præsentationem, non prærequiri esse collatum seu provisum, uti de electione clarè habetur *Cap. 1. & 2. Ut lite pendente*, in 6.; ideoque sufficere, ut beneficium petatur tanquam sibi debitum: è contrà in beneficiis col-

lativis



lativis requiri, ut sit collatum, adeoque ut beneficium petatur tanquam suum: vide tamen iterum eundem *Rosa* à n. 117.

§. III. Non sufficit quævis lis, ut beneficium red- 528  
datur litigiosum, sed requiritur, ut sit verè intro-  
ducta, & quidem circa titulum ac proprietatem be-  
neficii, uti dicitur n. 542. Unde non sufficit, si liti-  
getur, v. g. de executione literarum Apostolicarum;  
nec sufficit, si incidenter litigetur de titulo, sed de-  
bet de hoc esse lis directè & principaliter, *Tond. Pa-  
ris. Chok. Luca* de benef. in summa à n. 82. *Rosa* à  
n. 124. Nec sufficit lis coram Judice incompetente,  
nec per procuratorem falsum; neque lis, quâ urgea-  
tur privatio beneficii; neque lis circa crimen bene-  
ficiati, *Paris. Garc. Rosa* n. 74. & 118. *Leur.* p. 3. q.  
308. n. 5, imò quamvis conclusâ lite circa delictum  
jam sit lata sententia privationis, si tamen benefi-  
cium necdum sit actori adjudicatum, non ideo est li-  
tigiosum, *Rosa, Garc. Leur.* q. 310. n. 13., attamen  
*Lott.* q. 20. n. 45. *Luca* suprâ *Rosa* n. 94. 120. 124.  
putant, si principaliter petitum sit beneficium, &  
secundariò actum ad privationem alterius, benefi-  
cium fieri litigiosum, quia lis reipsa est super titulo:  
non sufficit autem, lis apertè calumniosa, uti dice-  
tur n. 541. Denique etiam non sufficit, si lis princi-  
paliter sit inter præsentantes vel conferentes, con-  
tendentes de jure præsentandi vel conferendi, uti di-  
cetur n. 542.; & in hoc quidem casu, quo lis pender  
inter Patronos, Episcopus potest constituere œco-  
nomum, attamen salvo jure Patroni illius, qui vi-  
cerit, *Cap. Quoniam*, 3., & *Cap., Eam te* 22. de ju-  
re patron. *Leo thesau. Eccles.* p. 2. cap. 6. n. 27., fini-  
tâ autem lite constitutus ab Episcopo removendus  
est, & qui præsentabitur à Patrono, instituendus,  
*Cap. Consultationibus*, 19. de Jure patron. & arg.

Cap. *Decernimus*. 16. q. 7., quia pro non dato habetur, quod ab illo datur, qui non potest de iure donare. Cap., *Quodd autem*, 5. de Jure patron. Leon. 28.

529 §. IV. Si causa fit introducta ad Judicem & expedita citatio cum inhibitione, tum dici potest introducta lis quoad Actorem, absolute tamen & quoad rem non dicitur esse lis introducta, usquedum sequatur legitima executio citationis, nisi forte citatus impediret executionem, tum enim in odium ipsius habetur citatio pro executata, licet non fuerit reproducta, *Rosa* n. 132. *Luca*, de benef. d. 50 à n. 3. De cætero si citatio sit legitime executata & in actis reproducta, jam indubie introducta est lis, uti habetur *Clement.* 2. Ut lite pendente, & in decisionibus apud *Rosa* n. 113., citatio autem, etiam tum est executata sufficienter ad constituendum litigiosum, si pars citata venerit in iudicium & responderit, quia per comparitionem suppletur omnis defectus, *Rosa* n. 131.; è contrà notant *Buratt. & Tond.* p. I. c. 85. n. 67., quamvis adversarius impetraverit beneficium tuum, si non intervenerit citatio tuâ, nequidem possessionem tuam turbari.

530 §. V. Etiam non censetur lis introducta per rescriptum subreptitiè impetratum aut nullum, unde beneficium tum non fit litigiosum, *Com. Az. Chok.* ad Reg. de subrog. n. 35. nec tum fit litigiosum, si lis intentetur illi, qui saltem per triennium possedit, *Chok. Rosa* à n. 124.

531 §. VI. Quamdiu lis pendet, beneficium non potest provideri ab alio quàm Papa, Cap. 1. & 2., *Ve lite pendente* in 6. *Clement.* 1. eod. tit. & AA. omnes cum *Rosa* n. 5. Nec satis est, quod unus litigantium moriatur, naturaliter vel civiliter, nam si ante ejusmodi cessum vel decessum lis non fuerit finita, beneficium

beneficium manet affectum, *Luca d. 92. n. 13. Leur. p. 2. q. 677.* Et hoc tenet, quamvis modernus possessor habuerit pacificè per annum, *Moh. Chok. Lott.* Quòd si lis ante utriusque mortem extinguatur vel cesset, beneficium redit ad ordinariam collationem, *Vital. Lott. Pirb. Leur. q. 793.* An autem, si unus collitigantium moriatur, possit etiam Episcopus vel Ordinarius collator surrogare superstitem, dicitur n. 548.

§. VII. Lis extinguitur, I. si partes faciant compositionem; quæ tamen videtur debere esse perfecta & non subiacens liberæ mutationi, *Luca d. 51. n. 4. & seqq. 2.* Si collitigans simpliciter cedat liti vel causæ, *Rosa à n. 134. 3.* Si actor moriatur; potest tamen superstes habens possessionem prosequi causam & ita obtinere absolutionem, *Lott. l. 2. q. 20. n. 55. 4.* Si reus saltem tacitè ostendat se nolle causam prosequi, v. g. si procuratorem revocet, & nisi alii pro jure etiam suo tuendo adhæserint actori, qui prosequi velint, *Luca d. 52. à n. 5.,* nam admitti non potest tanquam contradictor, qui nullum habet interesse in causa, *Luca d. 55. n. 9.* Estque probabilior & communior opinio, quòd ille sit reus & non actor, qui ut se in possessione defendat, à iudice postulat remedia, *Luca d. 52. n. 6. 5.* Etiam extinguitur lis per sententiam, quæ transivit in iudicatum, *Rosa n. 137.*

§. VIII. Ut lis censeatur deserta, requiritur lapsus 30. annorum, vel sententia declarans desertionem, vel ut constat de jure prosequentis cum lapsu 10. annorum, vel ut constat de non jure partis, quæ per 10. annos tacuerit, *Lancell. Rosa n. 137. Luca d. 92. à n. 9. Leur. p. 3. q. 308. n. 3.* Docent autem *Comes. Lott. Luca d. 50. n. 8.,* si quis inceperit disputare super beneficio alieno, debere infra sex menses litem introducere, & intra alios sex menses eam prosequi, alioquin si alter pergat pacificè possidere, priorem

priorem cadere jure prosequendi, secundum Reg. de annali: nihilominus Rosa n. 104. dicit lite introductâ, si non fundetur in impetratione certo modo facta, nullum tempus statui ad prosequendum.

534 Q. 70. Quid circa surrogationem sit notandum.  
R. Seqq.

§. I. Regula de subrogando collitigante sic habet. Item D. N. cupiens litium succindere anfractus, & ne novi collitigantibus adversarii dentur, providere, voluit, statuit & ordinavit, quod quoties deinceps aliquem super quovis ecclesiastico beneficio collitigantem in jure vel ad jus, si quod forsitan ejus adversario in dicto beneficio competierit, surrogari concesserit (dummodo prædictus collitigans in dicto beneficio intrusus non fuerit, nec super eo contra dictum adversarium, postquam illud per triennium pacifice possederit, lis tunc mota fuerit) aliorum quorumlibet de præmisso jure, sive tunc vacet vel cum vacaverit, impetrationes vel concessionem etiam motu proprio intra mensem ante concessionem hujusmodi facta, nullus sint roboris vel momenti. Et nihilominus cupiens eorum fraudibus obviare, qui viventium beneficia, illorum præsertim, quibus aut propter senium aut propter infirmitatem imminet vitæ periculum, impetrant, ut illis decedentibus tanquam collitigantes in eorum juribus facilius surrogentur, voluit, ut deinceps nullus in jure vel ad jus in beneficio defuncti, quod illo vivente in causibus præmissis vel similibus impetraverit, aliquo modo subrogetur, ac surrogatio vel gratia, si neutri, si nulli, seu novæ provisionis aut perinde valere, taliter impetranti nullatenus suffragetur: quod etiam strictissime observari mandavit in impetrationibus beneficiorum per privationem & amotionem ex quibusvis criminibus & excessibus forsitan

perpe  
tent  
tam,  
§  
tiger  
cedat  
que p  
data,  
petrat  
imper  
gula t  
possi  
funct  
Am  
& à  
§.  
anfrac  
sic pr  
surro  
nem  
sa n.  
§.  
quia  
cundi  
pa, qu  
cessar  
Lott.  
sed su  
Lott.  
à n. 1  
quam  
aliqu  
dispu  
§.  
folet

perpetratis, etiamque usque ad diffinitivam sententiam, quæ tamen in rem non transferit judicatam, processum fuerit.

§. II. Sensus primæ partis Regulæ est, si duo litigent super beneficio, & unus illorum cedat vel cedat pendente lite, ac aliquis tertius quomodocunque petat se subrogari, etiam hic tertius sit prior in data, tamen si alter collitigans infra mensem post impetrationem illius tertii petat se subrogari, valet impetratio collitigantis, & non alterius tertii: Regula tamen illa non ligat Papam vel Datariam, quin possint etiam tertium subrogare in totum jus defuncti, sed tunc derogandum esset huic Regulæ, *Rota*, *Ameijden*, *Rosa* de Exec. litt. Apost. p. 1. c. 17. n. 163. & à n. 196.

§. III. Finis hujus Regulæ est, ut longi litium anfractus amputentur, & ne beneficia diu vacent, hinc sic proviso debet accelerari provisio. Nec executio surrogationis gratiosæ retardari potest per exceptionem sub-vel obreptionis, nisi hæc sit clara, *Rosa* n. 61.

§. IV. Per surrogationem nemini fit injuria, quia beneficia litigiosa sunt affecta durante lite, secundum dicta n. 531., & certitudo, quam habet Papa, quod collatio illius beneficii ad se pertineat, facit cessare omne præjudicium cujuscunque collatoris, *Lott.* l. 3. q. 13. n. 31. Neque vacat tale beneficium, sed surrogatus repræsentat personam & jus defuncti, *Lott.* n. 22. & 33. *Rosa* à n. 7. & à n. 30. & iterum à n. 154., sicque in surrogato continuatur possessio, quam habuit defunctus, *Lott.* & alii, saltem si tertius aliquis interea non ceperit possessionem, uti fuse disputat *Rosa* à n. 28.

§. V. Subrogatio ex duplici fundamento dari solet superstici collitiganti, vel ex reservatione, vel

ex

ex lite ipsa, uti habet Regula: Tunc datur ex reservatione, si beneficium litigiosum à defuncto possessum, erat reservatum Sedi Apostolicæ per vacationem, ex qua defunctus obtinuerat, debet autem reservatio fuisse manifesta, uti pluribus *Lott.* n. 69. *Rosa* à n. 43., qui addunt plures decisiones.

539 §. VI. Communis est sententia Canonistarum, beneficia etiam juris patronatus laici, quamvis sit ex fundatione vel dotatione, cadere sub titulum, *Ut lite pendente*, in 6. & sub Regulam, *de surrogandis*, *Luca*, *Leur.* p. 2. q. 677. n. 1. Putat quidem *Tond.* de hoc faciendam esse mentionem, alioqui Papam non censeret derogare, sed *Rosa* n. 159. dicit non esse opus derogatione, verum satis esse dicere, quod beneficium sit aut fuerit litigiosum.

540 §. VII. Quamvis *Ameyd.* dicat surrogationem non solere dari superstiti, si non possederit, tamen oppositum probat usus, docentque *Lott.* l. 2. q. 20. n. 179. & *Rosa* à n. 165., sæpe enim conceditur surrogatio ad possessionem defuncti, uti dicitur n. 546.

541 §. VIII. Ad surrogationem prærequiritur lis legitime introducta, secundum dicta à n. 528. Nec debet lis esse introducta per rescriptum sub-vel obreptitium, secundum dicta n. 530. Nec debet esse lis calumniosa, nam beneficium etiam tum non redditur litigiosum, *Luca* de benef. d. 50. à n. 10. & d. 92. à n. 31. aliique plurimi apud *Rosa* c. 6. à n. 160. Debet tamen calumnia esse evidens, *Tond.* p. 2. c. 4. §. 5. n. 3. Porro calumniator in jure dicitur, non solum ille, qui falsa crimina alteri impingit, sed etiam, qui litem omni juris colore destitutam intentat, qualis est, quæ contra clarum textum juris vel pacti procedit, quia in claris & disertis verbis citra calumniam nefas est cavillari, inquit *Paulus* L. *Ille aut ille* 25. ff. de Legatis & fideicommissis, 3. & *Vlp.* in L.

in L. *Natura cavillationis*, 177. ff. De verb. signif. ait: *Natura cavillationis hæc est, ut ab evidenter veris ad ea, quæ evidenter falsa sunt, disputatio perducatur.* Contra clara enim verba non admittitur perplexa interpretatio, nec attenditur contraria observantia, uti firmavit Rota & adducti à *Lott.* q. 47. à n. 29. Norat tamen *Rosa* n. 102. & iterum à n. 170. ex decisionibus Rotæ & declaratione interpretum *Trid.*, calumniam in principio litis non præsumi, ideoque sufficere litem quomodocunque introductam cum aliqua probabilitate vel colore; neque obstabit, si postea detegatur calumnia, dummodo non fuerit manifesta initio litis.

§ IX. Quamvis Papa, etiam ubi lis fuit super solo possessorio, possit subrogare, *Seraph. Savin. Lott.* q. 20. n. 52. & q. 22. à n. 48., tamen si id non exprimat, nomine litis, quam prærequirit vel supponit, non venit lis super solo possessorio vel alio accessorio. Si autem surrogatio detur post litem in solo possessorio, non juvat ad immisionem, nisi prius justificata sit tota gratia principalis, & discussum jus defuncti. Neque ex lite super possessorio data surrogatio impedit Ordinarium vel Patronum, quominus provideat, *Lott.* q. 20. n. 53., sed requiritur lis principaliter super petitorio, secundum dicta n. 528., *Lott.* n. 41. *Rosa* c. 17. à n. 71. & iterum à n. 125. *VVames.* Conf. 251. n. 9. *Chok.* ad hanc Reg. n. 35. Ratio est, quia possessio valde distinguitur à beneficio, ita ut passim de illa disputetur etiam coram tribunalibus laicis, per hoc autem necdum attingitur beneficium, ergo beneficium non ideo redditur litigiosum: hinc *Vitalin.* in *Clement.* 1. n. 43. *Vt lite pendente*, ait, non esse dandam surrogationem proviso Apostolico, quando vel Patronus vel ordinarius Collator opponit se provisioni Apostolicæ, dicendo collationem

non pertinere ad Papam : idem habet *Rosa* n. 80., qui tamen n. 110. hanc affert distinctionem, ex *Ameyd.*, si sit lis inter Patronos post factam præsentationem, tum beneficium fieri litigiosum, quia tum censentur simul litigare præsentati prætendentes jus ad beneficium, è contrà si sit lis inter Patronos ante præsentationem, per hoc beneficium non fieri litigiosum, nec ob talem litem dandam esse surrogationem.

543 §. X. Intrusus excluditur à Regula surrogationis per intrusum autem non intelligitur quivis, qui pendente lite cepit possessionem, sed qui cepit propria authoritate, vel sine titulo ejus, qui potest providere, *Lott. Ameyd. Rosa* n. 175., si enim titulus sit à potente providere, est coloratus, & facit evitari in intrusionem hinc punitam, *Rosa* n. 178. Similiter qui beneficium viventis impetravit, à surrogatione excluditur per Regulam, quia factus est infamis & inhabilis; nec juvat, si prætendat errorem, nisi fuisset communis credulitas orta ex fama publica, *Rota, Rosa* n. 183., *Chok.* tamen putat excusare quamlibet justam causam & probabilem existimatæ vacationis.

544 §. XI. Si pendente lite moriatur ille, qui per triennium pacificè possederat, collitigans surrogari non potest, uti habet Regula: potest tamen surrogari tertius in jus defuncti, *Rota, Lott. Rosa* à n. 179. Si autem defunctus non fuerit in possessione, & surrogatio data sit sub conditione vel ex suppositione, quod in possessione fuerit, surrogatio nulla est, *Garc.* p. 6. c. 4. à n. 35.; sufficit tamen, quod aliquo modo possederit, bene vel malè, *Lott. Rosa* n. 63.: sed si ante mortem fuit spoliatus possessione, eique non debebatur manutentio, subrogato non est debita immissio in possessionem, *Lott. Ameyd. Rosa* n. 67.

præst-



præsumitur autem mortuus in possessione, si hanc habuit, & non probatur amisisse, uti cum communi *Rosa* n. 70.

§. XII. Nullum tempus est præfinitum collitiganti ad obtinendam surrogationem, ad effectum, ut deinceps sibi denegetur, sed tantum ad effectum, ut si concedatur tertio, hæc reddatur nulla, si collitigans surrogationem petat infra mensem ab impetratione vel concessione facta tertio, *Rota, Lott. Rosa* à n. 190. contra *Mandos. & Ameyd.*, qui putant petendam esse infra mensem. 545

§. XIII. In surrogatione communiter dantur literæ, non tantum ad jus defuncti, si quod habuit, sed etiam ad possessionem, *Lott. Rosa* n. 12. *Leur.* p. 2. q. 813 : debet tamen de hoc fieri mentio, nec sufficit dici, quod surrogetur in jus & ad jus, *Cbok* ad dictam *Reg. litt. M.*, & hoc non obstante, quod surrogatio à Papa detur etiam ad possessionem, tamen si Titius sit ita provisos à Papa, & Cajus eadem die ab Ordinario, ac hic prior ceperit possessionem, manuteneretur, secundum dicta n. 471., is enim est stylus curiæ, uti testantur *Rosa* n. 58. & 66. *Gonz.* apud *Leur.* q. 826. Vide etiam dicenda n. 578. Si autem antecessor Titii fuisset possessione exturbatus, surrogatus non continuaret possessionem, posset tamen etiam pendente lite incipere, si nec Cajus nec alius contradictor eam occupet, *Lott. Leur.* q. 814. 546

§. XIV. Si surrogatio detur etiam ad possessionem, tum maximè dicitur gratiosa, cujus ea est vis, ut probatis his tribus, *Clericatu surrogandi, lite, possessione defuncti*, sine justificatione principalis gratiæ, dummodo fuerit ad eam aliquis color boni juris, statim habeat locum, & debeat immisio in possessionem *Lott. Leur.* q. 815. & hoc *Rota* millies decidit, inquit *Rosa* n. 14. & 140. : prærequiri- 547

requiritur tamen adhuc expedi- literarum, *Rosa* à n. 15., quibus productis differri non potest immifio, nisi fortè duo haberent surrogationem pro eodem beneficio, aut alius haberet beneficii possessionem, de quibus casibus agit *Rosa* à n. 54. Quòd si nullus alius possessionem habeat, potest gratiosè surrogatus, etiamsi antea fuisset intrusus, nunc purgare vitium, saltem si hoc narrarit, & propria auctoritate possessionem ingredi, etiam pendente lite, *Lott.* & alii cum *Rosa* à n. 140. E contra surrogatio tum est rigorosa, si executori demandetur, ut surroget: & hæc indiget non tantùm verificatione narratorum in litteris, sed etiam discussione juris defuncti, *Lott.* l. 3. q. 13. à n. 32. *Rosa* n. 13. & iterum à n. 20.

548 §. XV. Si moriatur unus collitigantium, docet *Luca* d. 92. n. 35. non posse ab ordinario Collatore vel præsentatore surrogari superstitem, sed contradicunt *Covarr. Roch. Lancell. Paris. Garc.* p. 5. c. 9. à n. 220., cùm hic cesset ratio prohibitionis, nam ita surrogando non datur novus adversarius: Et quando Ordinarius prohibetur surrogare alium, intelligitur alium à collitigantibus.

549 §. XVI. In Gallia non habet locum Regula de subrogandis, nec Cap. 1. & 2., *Vt lite pendente*, in 6., quia animadversum est dari occasionem primis litibus frivolis, ut sic eluderentur Ordinarii collatores, *Rebuff.* in addit. ad Reg. Cancell. de surrog., *Gastel.* de usu & praxi Curia Rom. pag. 206., testantes beneficia litigiosa recidere ad manus Ordinariorum: idem passim fit in Belgio, essetque forsan utile idem fieri in Germania, præsertim cùm Concordata nihil habeant de hac reservatione ob litem, nec de surrogatione.

550 Q. 71. Quid notandum sit, circa gratiam, si newri, si nulli. R. Seqq. §. I.

§. I. Gratia, *si neutri*, conceditur illi tantum colliganti, qui Apostolicè provifus est, & sic quasi firmatur prima gratia ipsi facta: dicitur, *si neutri*, quia datur tantum sub conditione, si neutri eorum fit jus quæsitum, unde non tollit jus quæsitum ex præsentatione vel provifione Ordinarii &c., potestque etiam alicui tertio concedi, sed si concedatur colliganti, non est opus justificare narrata in prima gratia, sed tantum in hac secunda. Vide *Rosa* de Exe. Litt. apost. p. 1. c. 18.

§. II. Gratia, *si nulli*, est similis, & conceditur, 551  
si nulli ex pluribus quàm duobus colligantibus fit jus quæsitum. Vide *Rosa* n. 33. & *Castrop.* t. 13. d. 2. p. 31. §. I. n. 2.

Q. 72. *Quanam pactiones vel compositiones 552  
sint licitæ ad terminandas controversias circa beneficia.* R. Constat ex Seqq.

§. I. Omnis cessio beneficii vel juris etiam dubii circa beneficium, si fiat propriâ autoritate propter aliquid temporale, est simoniaca, uti tenent omnes cum *Castrop.* t. 17. d. 3. p. 19. n. 1. Nec potest absque simonia ferri sententia, ut unus solvat aliquid temporale pro jure spirituali saltem dubio, quod alteri competit, sic enim temporale esset pretium spiritualis: si tamen quis habens jus in beneficio, per sententiam cogatur dare aliquid temporale, censebitur dare ad redimendam vexam, *Suar. Pirb.* l. 3. t. 19. n. 49.

§. II. Si resignes liti beneficii, paciscendo de 553  
recuperandis tuis expensis, est simonia. Cap. *Cum pridem*, de pactis, *Paris. Corr. Pirb.* Vide dicenda à n. 1059. Idem est, si resignes huic liti pro obtentione alterius beneficii, quia est pactio in beneficiis, quæ secundum dicta l. 3. p. 1. n. 57. & 70. prohibetur velut simoniaca, *Az. Suar. Lambert. Castrop.*

*strop.*, Item si ex duobus electis alter alterum cor-  
rumpat, ut juri suo resignet, *Majol. Lott. Leur.* p. 3  
q. 751.

554 §. III. Si duo litigent circa plura beneficia, illi-  
cita est pactio, ut hic unum, alter alterum beneficium  
habeat, quia, uti dictum est, in materia beneficia-  
ria pactioes sine auctoritate Superioris sunt prohi-  
bitæ; & speciatim hic, ubi cum jus utriusque partis  
sit dubium, non potest per voluntatem transigentiu-  
um transferri hoc jus in illum, & istud in alterum,  
sed hoc fieri debet auctoritate Superioris, *Suar.* de fi-  
mon. c. 51. n. 14. Si tamen Cajus litiget pro habendo  
beneficio Titii, & Titius pro habendo beneficio Caji,  
possunt auctoritate propria pacisci, ut alter cedat à  
lite, si alter vicissim cedat, quia ibi non fit com-  
positio super beneficiis, sed super lite tantum, *Suar.*  
n. 15. Si lis sit super aliis juribus spiritualibus, v. g.  
super jurisdictione in locum aliquem, super jure  
præsentiendi ad beneficium &c., possunt fieri transa-  
ctiones, uti dictum est l. 3. p. 1. n. 114.

555 §. IV. Si duo litigent, habentes jura tantum ad  
beneficia, *Rayn.* l. 2. f. 1. c. 2. n. 38. putat, si acce-  
dat Episcopi auctoritas, fieri posse compositionem,  
permutando jus unum cum altero; & idem videtur  
insinuare *Suar.* n. 16. & 20., sed *Castrop.* n. 2. requi-  
rit ad hoc auctoritatem Papæ, quia permutatio ju-  
rium ad beneficia fieri non potest apud Ordinarium,  
ut dicitur n. 1085.

556 §. V. Potest fieri compositio inter litigantes, per  
sententiam Judicis ordinarii vel delegati, vel arbi-  
trorum Ecclesiasticorum aut compromissorum à Su-  
periore deputatorum pro tentanda concordia, qui  
accedente partium consensu & compromisso adju-  
dicent beneficium illi, pro quo videtur esse jus pro-  
babilius eique imponant pendendam alteri certam  
pecu-

pecuniam vel aliud temporale, non in compensationem juris, sed ob bonum temporale pacis, & ut à lite etiam in temporalibus noxia recedatur, Cap. *Non sine*, 2., de arbitris, *Barb.* de jure Eccl. l. 3. c. 15. n. 50. Potestque etiam esse pensio annua in certa quantitate, imposita, non beneficio sed beneficiato, & ad vitam hujus tantum beneficiati, uti habetur Cap. *Nisi essent*, de Præb. Imò putant *Abb. Cardin. Cacialup. Gamb. Mandos. Redoan. Duenn. Cuch. Suar.* n. 18. *Castrop.* n. 5. *Rayn.* c. 10. n. 16., *Gratian.* apud *Dian.* p. 9. t. 9. R. 49. etiam ab Episcopo posse imponi ad vitam pensionarii, vel beneficio, vel per consensum hujus beneficiati, etiam successoribus, quia Cap. *de cætero*, de transact., dicitur, quòd pensio sine auctoritate Episcopi imposita durare non debeat, nisi ad vitam illius, qui solvit; ex quo inferunt posse per auctoritatem Episcopi imponi etiam ad vitam illius, cui solvitur, sed communius contradicunt alii cum *Fagn.* ad Cap. *Nisi* de præb. & *Luca.* de pension. d. 40. n. 5.

§. VI. Si compositio fieret privatâ auctoritate 557  
partium, esset simoniaca, neque à Superiore approbari posset, Cap. *Nisi essent*, de præb. *Garc. Chok. Leuv.* q. 445. n. 1. Et ratio est, quia cum præsumitur dari temporale pro spirituali ob utilitatem personarum contrahentium; è contrâ Judex censetur intendere bonum pacis & concordia, *Suar.* n. 19. *Castrop.* n. 6. *Pirh.* n. 39. *Nec obstat*, quòd volentes permutare possint pacisci de modo, sub conditione, si Superior approbet, uti dicitur n. 1106., *nam* hic obstat specialis prohibitio.

§. VII. Simonia est litem beneficalem privatâ auctoritate terminare interventu sortium, quia est pactio in materia beneficiaria, *Suar.* de superst. c. 12. n. 3. *Rayn.* c. 2. n. 24., possetque fieri, ut is, cui fors

faveret, re ipsa careret titulo, quem alter litigans ei dare non potest. Quod si interveniat auctoritas Superioris, potentis dare titulum, non videtur illicitum adhibere sortes, nam licet in quibusdam electionibus ecclesiasticis interdicatorum earum usus, nulla tamen hic est electio; nec beneficium recipitur ex vi sortis, sed ex vi juris prætensi, sortibus tantum remouentibus obicem, *Gl. Abb. Suar.* n. 14. *Rayn.* suprâ. Quid fieri possit, si partes nec velint compositionem nec sortes, & sit rationum æqualitas, dicitur n. 1495.

559 Q. 73. *Quenam circa provisionem beneficiorum sit potestas Cardinalium, Legati Apostolici, Episcopi, Vicarii generalis, Capituli eiusque Vicarii; item Monasteriorum.* R. Videri potest *Leur.* p. 2., de Cardinalibus, q. 639. & seqq. De Legato Apostolico, q. 649. & seqq. de Episcopo, q. 664. & seqq. De Vicario Episcopi, q. 681. & seqq. De Capitulo, sede tam vacante quam plena, & de ejus Vicario, q. 696. & seqq. De Monasteriis, Abbatibus, Abbatissis &c., q. 718. & seqq. Diximus etiam aliqua circa Episcopum, n. 369. & 489. Circa Vicarium generalem, n. 250. Circa Capitulum Sede vacante dicemus n. 601.

Q. 74. *Quid notandum sit circa devolutionem beneficii.* R. Seqq.

560 §. I. Devolutio, est juris ad providendum translatio in alium, ob negligentiam vel culpam illius, ad quem spectabat providere. Fit ob bonum Ecclesiæ, ne beneficia diu vacent, *Cap. 2. de concess. prælat.* *Cap. Licet, de suppl. neglig. prælat.*

561 §. II. Datur devolutio, I. Si intra tempus à jure præscriptum neglecta sit provisio: debet tamen probari scivisse eum, ad quem spectabat providere, potuisse & noluisse providere, *Lott. l. 2.*

q. 24.

q. 24. à n. 6. *Leur.* p. 2. q. 740. & q. 745. n. 2. Neque hic expectatur purgatio moræ, sed sic evoluto tempore jam perditum est jus, *Abb. Az. Castrop.* t. 13. d. 2. p. 34. n. 4. *Barb. de Pot. Ep.* alleg. 73. n. 169. *Lott.* à n. 53. *Leur.* q. 738. & 744. 2. Ob provifum fcien- ter indignum aut inhabilem, *Garc.* p. 10. c. 3. n. 3. *Castrop.* n. 5. 3. Ob dilatam nimium institutionem, post appellationem legitimam &c. *Leur.* q. 177. Item ob negligentias alias in conferendo beneficio resignato &c. uti fuis locis dicetur.

§. III. Impedimentum, five facti five juris, eti- 562  
amfi ex propria culpa fit caufatum, dummodo non ideo fit inductum, & non facile potuerit removeri, excufat hic à negligentia, *Cap. Quia diverfitatem,* De Concess. Præb. *Gutt. Lott.* à n. 18. fuiffe autem legitimum impedimentum, probari debet à volente retinere jus, quia non præfumitur, *Lott.* n. 22. *Leur.* q. 741.

§. IV. Devolutio nihil immutat in beneficio, fed 563  
debet hoc conferri fecundùm eafdem qualitates & conditiones, quas fecum affert fundatio, *Az. Gonz. Gutt. Barb. Castrop.* n. 3. *Lott.* n. 63. *Leur.* q. 743., hinc conferens ex devolutione videtur tantùm præcipere poffe, ut à fe provifus mittatur in poffeffionem abiiis, ad quos de cætero fpectat. Vide *Leur.* q. 748.

§. V. Devolutio non fit ad parem vel inferiorem, 564  
fed ad Superiorem, ut inferioris negligentiam quali corrigit; hinc à Capitulo fit devolutio ad Epifcopum, non contrà, *Castrop.* n. 2. quamvis *Az. Rebuff. Garc.* n. 33. *Pirh.* l. 3. tit. 8. n. 34. putent etiam fieri ad Capitulum ab Epifcopo, in beneficiis, quæ jure proprio confert, ob magnam communicatio- nem, quam ad fupplendum invicem habent caput & membra; quod admittunt *Laym. & Lott.* à n. 40., quando Epifcopus fcien- ter indigno contulit, con-

firmavit, instituit, dicunt enim ex dispositione juris, Cap. 2. de concess. prab., Capitulum tunc fieri auctoritate Superiorem Episcopo; Si tamen Episcopus & Capitulum habentes simultaneam provisionem hanc dividerint in turnos, & Capitulum vel Canonicus pro Capitulo provisorus in suo turno negligat, non devolvitur ad Episcopum, nam respectu hujus beneficii sunt pares, sed ad utriusque Superiorem, cap. 2. de concess. prab. Castrop. n. 2. Garc. n. 35. Pirb. n. 39. Leur. q. 745. n. 1. Quod si simultaneè providere debebant, & unus negligat, totum jus devolvitur ad consortem; si autem uterque neglexit tempus, devolvitur ad Superiorem, Luca, Leur. q. 751. An Capitulum Sede vacante possit providere de devolutis, dicitur n. 601.

565 §. VI. Devolutio fit gradatim ab ordinariis Collatoribus ad Episcopum, qui tunc beneficia non exempta confert jure proprio, exempta autem, v. g. spectantia ad Regulares exemptos, ex delegatione Papæ, Luca de benef. d. 27. n. 10. Leur. q. 747. & q. 754. n. 4. Similiter jus devolvitur ab Episcopo ad Metropolitanum, etiam si Episcopus esset Cardinalis, Gonz. Garc. Leur. q. 749. A Metropolitano ad Primatem vel Patriarcham, si huic subjiatur: Quoad electionem Episcopi vel Archi-Episcopi, devolutio fit ad illum, ad quem spectat confirmare, qui est solus Papa, Abb. Pirb. Leur. q. 745 n. 3. & q. 754. n. 7. Quod si is, ad quem facta est devolutio, scienter conferat illi, qui ipso jure inhabilis est, devolvitur ad illius Superiorem; si conferat illi, qui tantum postea per sententiam est redditus inhabilis, provisio revertitur ad primum Collatorem, quia jam iterum vacat beneficium post provisionem validam: si ignoranter conferat inhabili, non fit devolutio, sed debet se corrigere substituendo habilem, Castrop. n. 7. Leur.



*Leur.* q. 746. Si verò Episcopus ob censuram providere non possit de beneficiis sibi soli subjectis, providet Papa, *Cap. Quia diversitatem*; de concess. præb. *Pirb.* n. 36. Vide *Leur.* q. 752. Si Vicarius Episcopi contulit indigno, devolutio fit ad Episcopum; si tamen hic collationem ratam habuerit, fit ad Metropolitanum, *Rebuff. Laym.* *Leur.* q. 753. A Legato de latere fit devolutio ad Papam, à Papa non fit devolutio, quia illi nunquam imputatur negligentia, *Lott.* n. 66. *Leur.* q. 744. Quomodo autem se gerere debeat, qui à Papa petit beneficium devolutum, vide *Leur.* q. 758.

§. VII. Si negligatur præsentatio intra tempus à 566  
jure statutum, devolutio videtur esse, non ad Archidiaconum aut alium, qui instituere solet, sed ad Episcopum, tum quia Authores passim dicunt, si inferior negligat, devolvi ad Episcopum, tum maxime quia omnes Episcopo inferiores non habent de se, ut conferant beneficia; imò instituunt nomine Episcopi, qui iis non commisit nisi hoc, non autem ut de devolutis provideant: & reipsa talis provisio est collatio, uti rectè *Leur.* q. 177. n. 1., collatio autem de jure spectat ad Episcopum. Oppositum videntur tenere *Gl. & Lott.* Vide *Leur.* q. 754.

§. VIII. Devolutio non habet locum in benefi- 567  
ciis affectis vel reservatis Papæ: Et quando quis habet indultum illa conferendi, si negligat intra tempus statutum, redeunt ad Papam, *Corr. Garc.* à n. 18. Quæ vacant in mensibus provisoris ordinarii vñ alternativæ, devolvuntur immediate ad Papam, *Lott.* n. 36. contra *Gonz.* Manualia devolvuntur cum amovibilitate provisi, & datur in eis purgatio moræ, *Garc.* à n. 46. Beneficia conventualia exemptorum, v. g. Abbatia, Prioratus, devolvuntur immediate ad Papam, *Lott.* à n. 47. Electiva devolvun-

tur ad eum, quia habet jus confirmandi, uti voluit  
*Gl. Lott. n. 4. Vide Leur. q. 754.*

568 §. IX. Quilibet Superior, ad quem gradatim fit  
 devolutio, habet semestre ad conferendum, à die no-  
 tæ devolutionis, *Az. Corr. l. 5. c. 1. n. 61. Pirb. 35.*  
 quamvis devolutio esset facta à laico, qui tantum  
 habebat quadrimestre, *Garc. n. 9. Leur. q. 755.* Si  
 tamen Superior dissimulet, valebit provisio, uti &  
 electio facta post tempus elapsum, prior enim provi-  
 sor censetur id facere nomine Superioris, *Az. Re-  
 bel. Pirb. Leur. q. 756.* Hinc infert *Laym.* ad Cap.  
*Literas*, de supp. negl. n. 1. probabile esse, quod sic  
 provisus, quamdiu nemo se opponit, possit tutâ con-  
 scientiâ retinere beneficium, eò quod talis provisio  
 sit de jure naturæ valida, quamdiu Judex aliud non  
 declarat, *Pirb. l. 1. t. 10. n. 3. not. 3.* Vide dicta n. 310.  
 & dicenda à n. 836.

569 Q. 75. Quid notandum sit circa obtentionem  
 beneficii per preces primarias. R. Seqq.

§. I. Per illas intelligitur indultum, quod Papa  
 dat Imperatori, ut possit in singulis Ecclesiis Metro-  
 politanis, Cathedralibus & Collegiatis per totum  
 Imperium, prout nunc est, nominare aliquem ad u-  
 nam primo vacaturam dignitatem, personatum, be-  
 neficium vel officium, etiam si per præsentationem  
 vel electionem aliàs conferatur: Idque in quocun-  
 que mense, quamvis *Chok.* in sch. ad prec. prim. pag.  
 65. pro Leodiensibus dicat excipi menses Ordina-  
 riorum.

570 §. II. Imperator posset has preces cedere alteri,  
*Chok. Leur. p. 2. q. 617.* Dicuntur autem preces,  
 quia Imperator non confert, sed tantum petit con-  
 ferri personæ à se nominatæ: *primaria*, vel quia sunt  
 primæ, vel quia præferuntur cuivis alteri nomina-  
 tioni, vel quia tantum valent pro prima & unica vi-  
 ce.

ce. Et ut habeant locum, 1. fieri non debent ad dignitatem majorem post pontificalem in Metropolitanis & Cathedralibus, nec ad principalem in Collegiatis, & apud Leodienses, etiam non ad dignitates aut beneficia electiva. 2. Ipsi collatores debent habere saltem quatuor beneficia in Imperio, quæ conferant, aut ad quæ præsentent. 3. Pro una persona fieri debent ad unum tantum beneficium; non obstat tamen aliquem habentem beneficium præsentari per preces, & simul retinere plura compatiblea. Vide *Leur.* q. 602. & seqq. Item q. 620.

§. III. Cadunt sub preces beneficia reservata Papæ extra Extrav. *Ad Regimen, Pirh.* de præb. n. 382. *Vagner.* ad Cap. *Is qui*, de præb., pag. 494. *Chok.* pag. 29. Item devoluta ad Ordinarios & resignata in manus Ordinarii. E contra à precibus libera sunt beneficia jurispatr. laici aut mixti, si competat ex fundatione vel dotatione; item regularia requirentia professionem religiosam; litigiosa, nisi lis esset solum super possessione; devoluta ad Papam; resignata in favorem; permutata; erecta post concessas preces; manualia; incorporata mensæ Episcopi, Capituli vel Abbatis; exempta; commendata: item Officia cadentia in laicos. Vide *Leur.* q. 607. 608. Item libera sunt præbendæ Canonessarum, quia non sunt beneficia, nec Papa ipse habet de eis disponere, secundum dicta à n. 229.

§. IV. Potest per preces nominari carens qualitate aliàs requisita per statutum, vel etiam per jus commune, dummodo dispenset Papa. Vide *Leur.* q. 610. Nominatus autem per preces institui debet ab Ordinario, uti probabiliter tenent *Engel & Leur.* q. 613. contra *Vagner.*, qui dicit institui debere per executores precum, ab Imperatore cum auctoritate Papæ constitutos, de quibus vide *Leur.* q. 614.

§. V.

571

572

573 §. V. Si Imperator moriatur post datam & à precista admissam gratiam nominationis, quamvis nihil amplius factum sit, manet gratia & est exequenda, quia dato, quòd se habeat instar mandati, tamen res non est integra, cum Imperator jam dederit gratiam, sitque acceptata, & gratia Principis debeat esse perpetua, *Paris. Oldr. Mobed. Leur. q. 615.*

574 §. VI. Precista debet intra mensem à die notæ vacationis beneficii acceptare gratiam, dicendo se velle hoc beneficium vi precum, tumque collatori ordinario hanc suam acceptationem manifestare, *Leur. q. 621.* Quo facto, debet executor gratiam exequi infra mensem, *Leur. q. 616.* Nec ordinarius collator vel Capitulum impedire potest executionem vel possessionem, quia indultum precum derogat omnibus aliis, *Leur. q. 622. & seqq.* Si autem precista moriatur re non sortitâ effectum, potest Imperator alium substituere, *Leur. q. 618.* Quid autem fieri debeat, si plures ad idem beneficium nominentur, explicat *Leur. q. 619.* Quòd si precista nolit acceptare primum beneficium vacans, potest expectare secundum vel tertium, *Chok. Pirh. VVagn. Leur. q. 621. n. 5.*

575 §. VII. Præscribi non potest contra indultum precum, quia contra privilegium consistens in voluntate utendi non præscribitur: Nec Papa illi unquam derogat. Precista amittit gratiam precum, si fiat inhabilis &c. item si renunciât, etiam tacitè, v.g. ducendo uxorem, sequendo militiam, ineundo Religionem &c. *Chok.* Vide *Leur. q. 625. & seqq.*

576 Q. 76. Quid dicendum sit, si idem beneficium eadem vel diversâ die pluribus conferatur vel cedatur. R.

§. I. De hac concurrentia in dato litterarum agitur *Cap. Duobus, 14. de Rescriptis in 6.*, sed clarius in

in Regulis Cancellariæ: Reg. 17. Item voluit, quod de concurrentibus in data ejusdem diei super vacantibus seu certo modo vacaturis beneficiis, illi, quibus gratia motu proprio conceduntur, ceteris simili modo gratias non habentibus; aliis graduati non graduatis, aut inter graduatos magis graduati, ac inter aequales graduatos prius graduati; nec non colorato titulo possessores non possessoribus; ac inter personas aliis in Curia presentes absentibus ab ea; ac inter presentes, non beneficiati beneficiatis; & similiter inter absentes ceteris paribus oriundus non oriundo, Diocesanus non Diocesano; in reliquis vero singuli, qui prius Apostolicas desuper litteras earum executoribus presentarint, aliis in ipsorum, de quibus agi contigerit, beneficiorum asssecutione preferantur. Reg. 34. Si ipsum resignantem seu cedentem pluries super uno & eodem beneficio in favorem diversarum personarum successivè consentire contigerit, voluit sanctitas sua, quod primus consensus tenere debeat, ac litteræ eorum prætextu etiam sub priore data expeditæ pro tempore nullius sint roboris vel momenti.

§. II. Si quis obtinuit gratiam sub conditione, & 577  
hac necdum purificatâ alius die eadem vel etiam posteriore obtineat purè seu absque conditione, hic prævalet, quia conditio suspendebat provisionem, alter autem interim acquisivit jus in re, Cap. Si pro te, de Rescr. in 6. Laym. Lott. Leur. p. 2. q. 771.

§. III. Si Papa volens concurrere seu prævenire, 578  
contulerit eadem die beneficium Titio, & Ordinarius Cajo, qui etiam prior possideat, Cajo præfertur secundum dicta n. 471. & 546. Si neuter possideat, nec sciatur, quis prævenierit, præfertur Titius, quia est præsumptio pro falso antidato Ordinarii, arg. Cap. Si à sede, De præb. in 6., Barb. Gonz.

*Gonz. Castrop. Luca, Pirb. Leur. q. 518.* Si Cajus moriatur, & Ordinarius substituatur Sempronium, quamvis hic ante Titium capiat possessionem, adhuc præferendus erit Titius, quia sic decisum est à *Rera* apud *Gonz. & Leur. q. 825. n. 4.* Quid autem requiratur ad faciendam fidem de anteriore provisione Ordinarii, vide *Leur. q. 519.* Si tam Titius quam Cajus cœperit possessionem, & provisio solius Caji exprimat horam, præfertur Cajus; si Titius possideat, quamvis provisio hujus non exprimat horam, videtur præferendus, licet Caji provisio horam expresserit, quia præsumptio ex possessione videtur superare præsumptionem ex hora, *Tiraq. Mascar. Rebuff. Gonz. Leur. q. 825. n. 2.* contra *Menoch. Mandos.* Quod *Gonz. & alii cum Leur. n. 3.* extendunt, etiamsi possessio non sit capta eadem die factæ provisionis: Idem dicunt alii cum *Gonz. & Leur. n. 4.*, licet Titius, qui citius possessionem acceperat, hanc dimiserit, & Cajus, qui serius acceperat, eam semper retinuerit, quia per possessionem priorem Titii præcludebatur jus Cajo, quod jus nunquam convaluit. Vide dicta n. 546. Quid autem dicendum sit in dubio, an fuerit mensis Papalis, an ordinarius, dictum est n. 488.

579 Q. 77. *An beneficia concedi debeant dignioribus. R.* Constat ex Seqq.

§. I. *Innocentius XI.* damnavit hanc 47. *prop.* *Cum dixit Concilium Trid., eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui, nisi quis digniores & Ecclesia magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent, Conciliū vel primò videtur per hoc digniores non aliud significare velle nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo; vel secundò locutione minùs propria ponit digniores, ut excludat indignos, non verò dignos;* vel

vel tandem loquitur, quando fit concursus. Ex qua damnatione patet, per digniores, quos *Trid.* præcepit præferri, intelligi simpliciter digniores, comparativè ad alios dignos; & non tantùm, quando fit concursus, sed etiam extra.

§. II. Qui promovet indignum ad quodcunque 580 beneficium Ecclesiasticum, peccat mortaliter, tum quia *Conc. Lateran. & Trid.* severè præcipiunt, ut beneficia conferantur dignis, alioqui promovens indignum incurrat pœnas *Constit. Grave nimis*, tum etiam quia talis promotio cedit in grave damnum Ecclesiæ, cui etiam debetur restitutio, uti habet communis cum *Garc. p. 7. c. 16. n. 47. Fill. t. 41. n. 183. Castrop. t. 13. d. 2. p. 11. §. 4. n. 1.* Ac tenetur damna illa compensare, ante omnes indignus, qui procuravit sibi beneficium; post hunc, qui providit; denique cooperatores. Speciatim autem de pœna præsentantis indignum diximus n. 317., De pœna eligentis, n. 404. Vide *Leur. p. 2. q. 764.* Quomodo verò peccet, qui indignum promovet in Doctorem vel Licentiatum, videri potest *Sanch. in Conf. l. 2. c. 1. d. 57.*

§. III. Putat cum aliis *Lugo de just. d. 35. n. 5.*, si 581 nullus occurrat dignus, licitum esse promovere indignum ad excludendum indignissimum, qui graviora mala afferet Ecclesiæ, sed alii apud *Dian. p. II. t. 4. R. 38.* contradicunt, quia non est licitum facere intrinsecè malum, quamvis sit minus, ut evitetur majus, promovere autem indignum videtur esse intrinsecè malum, unde potiùs permittenda esset vacatio. An provisio indigni sit ipso jure irrita, videri potest *Lugo n. 9.*

§. IV. Certum est, quòd is, qui ad Cardinala- 582 tum vel Episcopatum promovet minùs dignum prætermissio digniore, peccet mortaliter, nam de tali lo-  
quuntur

quantur *Trid.* Sess. 24 c. 1. de refor. & prop. damnata n. 579. relata: Docetque sententia communi ad hoc graviter obligari etiam Papam & Reges, quidquid contradicat *Regin.*, cujus sententiam *Diana* p. 2. t. 15. R. 40. reputat probabilem, sed sine fundamento. Idem videtur esse de promotione eorum, qui habent potestatem quasi Episcopalem, uti Abbates, & ita expressè habet auth. *De Monachis*, Cap. 9. §. *ordinatione*, dicens eligendum eum, qui apperuerit optimus. Idem est quoad Priores, Guardianos, Rectores, uti docet *Vasq. Rebel. Valent. Az. P. Nav. Mendo* d. 13. à n. 279. *Carden.* in 2. crisi d. 28. n. 5. contra *Caj. Valer. & Th. Hurt.* apud *Mendo* n. 708. Et rationes patebunt ex dicendis.

383 §. V. Qui ad beneficium curatum promovet minus dignum prætermisso digniore, etiam peccat mortaliter, *S. Th. Gutt. Barb. Rebel. Less. Garc. Castrop. Luca, Leur.* p. 1. q. 211. contra *Gl. Hug. Sot. Alens.* & alios apud *Dianam* supra, quorum sententiam *Fill.* n. 181. & *Burgh.* cent. 1. cas. 18. putant esse probabilem, quamvis talem esse non agnoscat *Diana* ibid. & p. II. t. 4. R. 34. Ratio est I. quia *Trid.* c. 18. id præcipit, & cum sit materia gravis maximique momenti, utique sub mortali, jubet enim pro parochis institui examen, ex hisque, inquit, *Episcopus eum eligat, quem ceteris magis idoneum judicaverit, atque illi & non alteri collatio Ecclesie ab eo fiat, ad quem spectabit eam conferre. . . . is quem patronus digniorem inter probatos ab examinatore iudicabit, Episcopo presentare teneatur, ut ab eo instituat: cum verò institutio ab alio quam ab Episcopo erit facienda, tunc Episcopus solus ex dignis eligat digniorem, quem Patronus ei presentet, ad quem institutio spectat.* Similiter propositio damnata videtur intelligenda de beneficiis curatis;



curatis; nam loquitur de beneficiis, quæ conferuntur, quando fit concursus, raro autem fit concursus pro Episcopatibus, & semper fieri deberet pro parochiis. 2. Est gravis obligatio promovendi digniores ad Episcopatum, quia ita postulat bonum animarum & Ecclesiæ utilitas, ergo etiam ad beneficium curatum, quia ita etiam postulat bonum animarum & utilitas Ecclesiæ, quæ dignior magis promoturus est. 3. Si aliter fiat, est acceptio personarum in re gravi, uti rectè *S. Th.* 2. 2. q. 63. a. 2. ad 3., quando enim persona digna præfertur digniori, pro motivo præferendi acceptatur aliquid velut causa, quod causa non est, & circumstantia nihil conferens ad causam, substituitur pro circumstantia conferente ad causam; Et pro hoc hæc verba *S. Hieronymi* adducit *S. Th.* q. 185. a. 3. in O. *Quidam non querunt eos in Ecclesia columnas erigere, quos plus cognoscunt Ecclesia prodesse, sed quos plus ipsi amant, vel quorum sunt obsequiis deliniti vel dediti, vel pro quibus majorum quispiam rogaverit, & (ut deteriora taceam) qui ut Clerici fierent, muneribus impetrarunt: hoc autem pertinet ad acceptionem personarum, quæ in talibus est grave peccatum: Plures rationes dantur n. 588.*

§. VI. Etiam tenentur digniorem præferre, qui 584 per liberam præsentationem vel collationem provident de beneficiis curatis, quamvis fortè sint laici, *Sanch. d. 5. Less. l. 2. c. 34. n. 64. Lugo n. 40. Mendo n. 261. Carden. n. 39. contra Ricc. Nav. Lambert. Henriq. Garc. Barb. Castrop. p. 7. n. 6. Burgh. supra, & alios apud Mendo n. 270.* Probat, quia de his valent rationes datæ & dandæ.

§. VII. Si plures ad beneficium curatum præ- 585 sententur inæqualiter digni, dicunt multi Instituentem posse eligere, quem volet, dummodo dignum, T sed

sed *Barb.* & alii cum *Castrop.* p. 9. n. 3. probabiliter dicunt præferendum digniorem, ob rationes datas & dandas: Imò *Diana* p. 9. t. 8. R. 16. dicit tum re ipsâ esse velut concursum, quia præsentans videtur appellare ad iudicium instituentis, ut magis idoneum præferat.

586 §. VIII. Si quis resignet vel permutet beneficium curatum, communis sententia cum *Az.* & *Barb.* de off. Parochi c. 2. n. 101. dicit satis esse, si transferat in aliquem dignum, quia dimittit hoc, quod suum est, & propter quod, si retineret, non teneretur plùs facere, quàm mediocriter idoneus, ergo substituendo talem satisfacit: accedit, quòd resignans vel permutans non sit distributor beneficij, ideoque non videatur teneri quærere aut designare digniorem. Addunt *Caj. Salon. Regin. Less. Lugo* n. 51. *Castrop.* p. II. §. 2. n. II. *Diana* p. 2. t. 15. R. 41. talem minus dignum posse à Superiore institui: è contrâ *Nav. Sol. Vasq. Passer. Paris.* & alii cum *Carden.* n. 45. dicunt etiam talem resignantem vel permutantem teneri eligere digniorem, si occurrat, & faterur *Less.*, si multò dignior se offerat vel sit in promptu, charitatem boni communis obligare, ut præferatur; Et in hanc partem etiam multùm inclinât *Lugo*, tenetque eandem *Leur.* p. 3. q. 888. (quamvis oppositum insinuasset q. 352. & p. 1. q. 211. n. 3.) si ille, qui per resignationem aut permutationem beneficium accipit, sit notabiliter minus dignus, præferendum esse digniorem, rationes enim sunt eadem, uti consideranti patebit.

587 §. IX. Provisio curati digni præ digniore est valida, sâtem si fiat extra concursum, *Barb.* à n. 97. *Castrop.* §. 3. n. 1. *Leur.* p. 2. 474. Et si facta sit, nequidem est irritanda, quia per hoc aperiretur janua ad multas lites, scandala, inimicitias, detractio-

nes,

nes, *Luca*, de benef. d. 67. n. 10. Quid autem dicendum sit, si præcefferit concursus, dicitur n. 628.

§. X. Probabilius videtur etiam eum peccare mortaliter, qui pro beneficio simplici præfert dignum digniori, ita *S. Th. Caj. Vasq. Castrop. §. 2. n. 8.* aliique multi apud *Carden. n. 9.*, Consentiunt *Nav. Az. Sa. Fill. n. 179.*; si fiat passim, non autem si semel aut bis. Consentiunt *Rebell. Mald. Less. Regin.*, si fiat in beneficiis majoris momenti, uti in primario Canonatu: Contradicunt tamen *Sanck. & alii cum Barb. n. 103.* dicentes in beneficio quocunque simplici non peccari mortaliter, quia cum nec *Tryd.* nec *Canones* prærequirant concursum vel speciale examen, innuunt satis esse, si provideatur dignus; fatentur tamen plerique per hoc peccari venialiter. Aliqui cum *Garc. & Diana p. 2. t. 15. R. 38.* excusant ab omni peccato, quorum sententiam *Luca n. 3. & d. 69. n. 9.* dicit consuetudine esse receptam, *Carden.* fatetur probabilem, si beneficia nequidem mediatè habeant annexam curam: sed ratio nostra est, 1. Quia sic videtur declarare *Inn. III. C. un. ut Eccle benef. sine dimittunt.*, ubi loquens de beneficio simplici, dicit, *discreto iudicio debuisti Ecclesiasticum officium & beneficium in persona magis idonea dispensare.* 2. Quia etiam hic esset acceptio personarum in re gravi. 3. Quia finis primarius instituendi beneficia fuit major Dei cultus & majus bonum Ecclesie, finis autem secundarius fuit remuneratio benemeritorum, uti cum aliis rectè *Carden. n. 7.*, sed si excludantur digniores, uterque hic finis impeditur, qui omnino magni momenti est, ergo. 4. Sic excludens digniorem facit contra fidelitatem debitam ex officio, Ecclesia enim commisit huic vel illi potestatem providendi de beneficio eâ tantum conditione,

ditione, ut utatur tanquam fidelis dispensator secundum fines ab Ecclesia in erectione beneficiorum intentos, & hic finis est aliquid in se grave seu magni momenti, violare autem fidem ex officio debitam in re gravi est mortale, uti rectè *Fill.* n. 178., ergo. Ex his,

*Sequitur*, si inter plures æqualiter præsentatos sit alius alio dignior, præferendum digniorem, *Vivian. Roch. Az. Lop. Barb. Castrop. Corr. Pirh Leur.* q. 193. n. 3., Similiter si confirmatori proponantur plures electi, tenetur confirmare digniorem, quia in eo casu sustinet partes electoris & confirmatoris, *Led. Arm. Donat.*, Si tamen unicus sit electus, etiam si dignior sit prætermittitur, confirmari debet, si sit dignus, quia ad vitandas lites aliaque incommoda ita præcipitur *Cap. Postquam*, 3. de Elect., *Caj. Bann. Covar. Rodrig. Donat. Pass.* Vide *Leur.* q. 474.

589 §. XI. Etiam in electionibus apud Religiosos præferri debet dignior, *Rebell. Sot. Vasq. & alii* communiter cum *Lugo* n. 55., contra *Valer. & Castrop.* p. II. §. 2. n. 14. Refert tamen *Lugo* multos casus, in quibus prætermitti possit dignior, uti si utilius occupetur in alio officio; si alioqui esset perpetuò futurus ad regimen aut in digniore officio, quod sæpe non expedit; si reservetur ad aliam functionem cum majori emolumento boni communis. Vide dicenda n. 592.

590 §. XII. Qui dignus erat, & beneficium obtinuit excluso digniore, non tenetur illud dimittere, saltem ante sententiam, *Less. Tb. Hurt. Castrop.* §. 5. n. 6. contra *Rebell.*, Imò qui se agnoscit minus dignum quàm alium, potest se offerre ad beneficium, relinquendo totum iudicium examinadoribus vel Collatoribus, *Caj. Covar. Az. Less. Diana* p. 3. t. 5. R. IIo., quod admittit *Castrop.* n. 1., si dubitet, nam si

clare

clare cognosceret se esse minus dignum, neque putaret se compensaturum defectum per specialem diligentiam, dicit eum non posse petere absolute, quia peteret hoc à Collatore, quod hic licite præstare non posset, ergo petendo peccaret: Si tamen bonâ fide tentet aleam, & præferatur aliis, potest acceptare, sequendo judicium aliorum, *Sot. Tur.* Quid agendum sit, si lis oriatur inter dignum & digniorem, videri potest *Castrop. §. 3. à n. 4.*

§. XIII. Dignus, qui procuravit se præferri alteri, quem sciebat esse digniorem; item promovens dignum præ digniorem, non videtur peccare contra iustitiam, adeoque non tenetur cuiquam aliquid restituere, non Ecclesiæ, uti certum esse dicit *Castrop. §. 4. n. 2.*, docentque etiam *Mol. & Less.*, quia Ecclesiæ assignatur idoneus Minister, cujus labor est par stipendio; Nec digniori, uti tenet *Adr. Nav. Covar. Gutt. Valent. Tol. Az. Less. Rebell. contra Palud. Arag. Caj. Salon. Bann. Silv. Lop. P. Nav. Rodrig. Med. Led. Vasq.*, Ratio est, quia dignior non habet jus ad beneficium, sicuti melior operarius non habet jus, ut vocetur ad laborem pro stipendio: aliud tamen est, si per concursum judicatus sit dignior, uti dicitur n. 628.

§. XIV. Dignior potest aliquando præteriri, uti si beneficium ex fundatione conferri debeat personæ certæ urbis vel familiæ &c. *Castrop. §. 2. n. 5.* Si tamen in tali urbe vel familia sint duo inæqualiter digni, præferri debet dignior, *Bass. Leur. q. 154. n. 1.* Item præteriri potest dignior, si reservetur ad aliud beneficium, in quo erit Ecclesiæ utilior, quamvis fortè hoc beneficium sit futurum tenuius, *Castrop. n. 13. Lugo à n. 24.*, Ratio est, quia obligatio præferendi digniorem est primariò ob majus bonum Ecclesiæ, ergo ubi hoc non esset, cessat illa obligatio:

Similiter fieri potest, ut dignissimus postponi possit digniori, nam si inter tres eligendos unus sit dignus, aliter dignior, tertius dignissimus, & praevideam, si votum meum dem dignissimo, fore ut dignus plura vota habeat quàm dignior, possum præterito dignissimo dare votum digniori, quia sic magis attingo mentem Ecclesiae & finem beneficiorum, *Vasq. Turr. Less. Castrop. n. 12. Lugo n. 31.*

593 §. XV. Per digniorem, qui dicitur sub mortali præferendus, intelligitur notabiliter dignior: si autem in uno sit parvus excessus, an mortale sit digniorem tum prætermittere, dicitur l. 5. n. 204. Docent tamen *Sot. Bann. Salon. Valent. Rodriq.* apud *Dianam* p. 5. t. 5. R. 13. esse tantum veniale, si beneficium sit parvi momenti, & postponatur, qui tantum parum excedit. Quod si videatur esse æqualitas inter plures, aut dubium sit, & discerni nequeat, quis sit dignior, liberam est præferre, quem voles.

594 §. XVI. Notant *Sigism. Pass. Leur. q. 293. n. 2.* tutius esse eligi dignum, de cujus dignitate constat, quàm eum, qui videtur dignior, de cujus majore dignitate habetur solum probabilitas: si tamen certum sit eum esse æqualem digno, præferendus est, quia per hoc superat, quod probabiliter sit dignior.

596 §. XVII. Rectè notat *Mendo n. 277.* etiam valde consultum esse, ut ad officia sæcularia assumantur digniores, quia id etiam postulat bonum commune ac utilitas omnium; & quando aliter fit, ordinariè est acceptio personarum vel sordida cupiditas pecuniarum aut lucri proprii.

597 Q. 78. *Quis hic dicatur dignior, dignus, indignus. R.*

§. I. Dignior dicitur, qui consideratis omnibus donibus corporis & animi creditur futurus Ecclesiae utilisior; dignus, qui habet qualitates requisitas ad ministr-

nisterium; indignus, cui deest aliqua ex qualitatibus ad ministerium requisitis, seu qui non potest satisfacere tali muneri.

§. II. Ille non semper est dignior, qui est san- 598  
tior vel doctior, uti expressè *S. Th.* 2. 2. q. 185. a. 3. in O. & ad 3. Item q. 63. a. 2. in O. Et quamvis quis quoad aliqua sit minus dignus, tamen potest cense-ri esse dignior, v. g. si sit ex patria & gratior populo; si non sit implicatus tot negotiis externis; si sit eligibilis, alter autem deberet postulari; si habeat majorem experientiam &c. *Diana* p. 3. t. 5. R. 110. Hinc etiam rectè notat *Lugo* de just. d. 35. n. 2. pro majore dignitate simpliciter statuenda spectandas esse circumstantias, nam sæpe præferenda est doctrina pietati, uti si quis inter hæreticos sit futurus Parochus: è contrà sæpe præferenda probitas & exemplaris vita doctrinæ, maximè inter Catholicos; & idem est de aliis talentis, v. g. concionandi, canendi, conversandi, respectivè ad templa & loca, in quibus erit. Addit *Barb.* de Off. Parochi c. 2. n. 109. judicari debere, quòd adultior sit dignior quàm juvenis, Doctor quàm non Doctor, non habens beneficium quàm habens, sacerdos quàm non sacerdos, nobilis quàm ignobilis, dispensatione non indigens quàm egens, dives quàm pauper, si Ecclesia sit indigens &c. Vide etiam *Leur.* p. 2. q. 193. n. 3. & q. 293. n. 2. Item dicta n. 576.

Q. 79. Quid præterea notandum sit circa Para- 599  
chos, parochias & curata beneficia. R. seqq.

§. I. Parochus videtur dici à græco παράκοικος, *accola* seu *incola*, eò quòd Parochi collocentur inter eos, quorum quoad animas curam gerunt, *Barb.* de Jure Eccl. l. 1. c. 1. n. 13. Et Parochia significat locum certis finibus limitatum, complectentem familias saltem decem, uti vult *Barb.* c. 20. n. 16., aut si jam

erecta fuerit parochia, decem personas, uti habet *Corr.* l. 3. c. 5. n. 10., in quo loco habitet populus deputatus tali Ecclesie, quæ per hoc dicitur parochialis, quod in ea unus aliquis auctoritate Episcopi constitutus exercere debeat curam animarum tali Ecclesie assignatarum. Notat autem rectè *Corr.* n. 3. contra *Lott.* l. 1. q. 20. à n. 55. sicuti non omne beneficium curatum est parochiale, ita nec omnem Ecclesiam curatam esse parochialem, si enim duo per vices vel simul ex officio exercent curam animarum in aliqua Ecclesia, uterque erit curatus sed neuter Parochus, nec Ecclesia erit parochialis, attamen erit curata; signa autem Ecclesie parochialis sunt, si habeat certos limites vel familias sibi deputatas, quæ diebus festivis ibi audiant Missam, recipiant Sacramenta, ibi sepeliantur; si in ea afferretur Eucharistia, fiant oblationes, dentur decimæ, &c. *Barb.* n. 22. Notat etiam *Laym.* ad Cap. *statutum*, de Elect. in 6. & ad Cap. 3. de Postul. n. 1. nomine parochialis non venire in odiosis Ecclesiam, quæ simul est Collegiata, uti nec dignitates habentes parochiam annexam aut curam habitualement tantum: videri tamen debet *Luca* de benef. d. 14. n. 7. d. 16. d. 24. à n. 6. d. 77. n. 3. & d. 952.

600 §. II. Providendus de parochia scire debet linguam seu idioma loci, in quo est parochia, alioquin provisio est nulla, uti dicitur n. 790.

§. III. Parochus non potest amovibiliter præfici parochiæ, uti declaravit Sacra Congreg. apud *Gonz.* ad Reg. 8. Cancel. Gl. 5. §. 6. n. 60. & *Corr.* c. 9. n. 39., quia sicuti matrimonium carnale non contrahitur ad tempus, ita nec spirituale, quamvis hoc semper maneat dissolubile; si tamen parochia sit unita Monasterio vel alteri loco vel beneficio, potest per Vicarium temporalem provideri, *Luca* ad Trid. d. 9. n. 1.

§. IV.



§. IV. Beneficia, præsertim curata, non debent  
 diu vacare, Cap. *Ne pro defectu*, de Elect. Cap. *Ut  
 circa*, de Elect. in 6., Cap. *Si apostolica*, de præb.  
 in 6. His non obstantibus, si Sedes Episcopalis vacet,  
*Garc. Corr. Lott.* & alii apud *Leur.* p. 1. q. 171. do-  
 cent collationes beneficiorum spectare ad Papam &  
 non ad Capitulum, nisi essent beneficia simultaneæ  
 collationis Episcopi cum Capitulo, *Leur.* p. 2. q. 708.  
 & seqq. Parochialis autem tunc vacans in mense Or-  
 dinarii, reservatur Episcopo successori, si ad Episco-  
 pum spectabat providere, *Gonz. Garc. Leur.* q. 711.:  
 potest tamen Capitulum indicere & habere concur-  
 sum, sed electio dignioris reservatur Episcopo suc-  
 cessori, *Molina, Castrop.* apud *Leur.* ibidem: & se-  
 cundum *Laym. Az. Rebuff.* *Leur.* ibidem, potest  
 Capitulum constituere œconomum aut commenda-  
 re ad sex menses: de cætero, beneficia Sede vacante  
 vacantia in mensibus Ordinarii, etiam per Concor-  
 data Germaniæ reservantur Episcopo successori,  
*Leur.* q. 709., & Capitulum nequidem de devolu-  
 tis potest providere, *Az. Barb. Garc. Castrop. Leur.*  
 q. 712. contra *Zerol. Lambert. Mol.* & alios.

§. V. Si Sedes Apostolica vacet, Episcopus aut  
 quivis alius habens jus ordinarium confert paro-  
 chias, alioqui Papæ reservatas, non tamen alia bene-  
 ficia curata, uti nec habitu tantum parochialia, Cap.  
*Si apostolica*, de præb. in 6. *Gonz. Corr. Leur.* p. 1.  
 q. 172., sed per Concordata possunt Episcopi aliique  
 collatores in Germania tum providere de omnibus  
 beneficiis, etiam si in mense Papali incipiant vacare,  
*Chok. Pirb. Leur.* q. 174. Quid autem dicendum sit,  
 si beneficium jam ante mortem Papæ vacaverit, di-  
 ctum est n. 498.; si tamen sit parochiale & Papa ante  
 suum obitum de eo non providerit, is, ad quem or-  
 dinariè pertinet, potest liberè de eo providere, Cap.  
*Si Apostolica*, supra.

T 5

§. VI.

653 §. VI. Parochialia beneficia provideri debent per concursum, uti dicitur n. 610., Et quamvis id non fiat, tamen omnes admittendi ad beneficia curata debent ante possessionem examinari ab iis, quos Episcopus constituerit, *Paris. Garc. Barb. Castrop. t. 13. d. 3. p. 2. §. 4. n. 10.* Etiam examinari debent, qui volunt præfici parochiis unitis Monasterio exempto, *Luca ad Trid. d. 32. n. 36. Levr. q. 209.* Etiam illi examinari debent, qui à Patronis laicis præsentantur, uti habet *Trid. Ses. 24. c. 18. de Refor. Nec refert*, quòd constat de alicujus idoneitate quoad omnia, v. g. quia est doctor Theologiæ aut etiam Vicarius in spiritualibus, quia examen spectat ad formam provisionis, *Paris. Garc. Corr. Lott. Levr. q. 207.* Etiam meritò iterum examinatur Parochus ad aliam parochiam transferendus, quia qui idoneus fuit, potest per oblivionem, socordiam vel aliam causam, factus esse inidoneus, aut defecisse in moribus, *Laym. ad Cap. Ex litevis, de Constit. n. 2. Garc. p. 6. c. 2. n. 253. & 266. Luca de Parochis d. 6. n. 6.*, aut major doctrina fortè necessaria est ad alteram difficiliorrem parochiam. Quòd si beneficium, sit tantum, secundariò curatum, adhuc videtur præmittendum examen, uti observatum est in dicecesi Monasteriensi, ne curam suscipiat, qui fortè ineptus est, & post obtentum plenum jus in re cum majoribus incommodis removeri debeat.

604 §. VII. Si quis in primo examine pro beneficio curato non reperiatur idoneus, videtur posse illi concedi tempus pro præparatione ad aliud examen, & si tum reperiatur idoneus, provideri: & ita vidi præficari, quidquid in contrarium dicant *Garc. & Levr. q. 200.*, verificatur enim, quòd per examen reperiatur idoneus, nec verba videntur odiosè restringenda ad examen unicum.

§. VIII.

§. VIII Parochus etiam in concursu & sine re- 605  
 strictione approbatus potest ex causa revocari ad  
 examen, v. g. si adsit prudens suspicio oblivionis, si  
 se nimirum effundat ad occupationes exteriores, si  
 negligat studium, si in praxi sæpe malè procedat: &  
 ubi non bene subsistet, suspendi potest à Cura, quia  
 spectat ad officium Episcopi providere, ut semper  
 idonei curam administrant, *Ricc. Gonz. Barb. Lugo,*  
*Luca & alii cum Leur. p. I. q. 210.*

§. IX. Quomodo & sub qua pœna teneantur re- 606  
 sidere Parochi, dictum est l. 3. p. I. n. 736, & specia-  
 tim de pœnis, Vide *Leur. q. 388. & seqq.* Quòd si pa-  
 rochus emanat diu ultra licentiam, & negligat mo-  
 nitionem ad sex alios menses, privari potest, *Lott.*  
*l. 3. q. 27. à n. 79.* Si autem ignoretur, ubi sit, aut sit  
 in loco, quo conveniri non potest, citari debet tribus  
 vicibus, & post expectatos à lapsu ultimi perempto-  
 rii alios sex menses debet privari sive declarari pri-  
 vatus parochiâ ob non residentiam, *Lott. Leur. q. 390.*  
 & seqq. Si ante privationem compareat, audiri de-  
 bent causæ excusantes absentiam; si compareat post  
 privationem, & causæ inveniantur justæ subvenitur  
 remedio restitutionis in integrum, *Lott. Leur. q. 394.*

§. X. Parochus fruens decimis tenetur concur- 607  
 rere ad reparationem domus parochialis & Ecclesiæ,  
 nisi consuetudo onus illud imposuerit parochianis,  
*Azor p. 2. c. 9. q. 10. Barb. de Off. Paroch. c. 13. à*  
*n. 2. Vide Leur. q. 433.*

§. XI. De jurisdictione & potestate Parochi in 608  
 ordine ad administrandum Sacramentum pœniten-  
 tiæ aut ad delegandam ad hoc potestatem, dicitur  
 l. 6. Notat autem cum aliis *Leur. q. 447. in locis Re-*  
*gularium exemptis, Parochum non retinere jurisdic-*  
*tionem, quamvis eam retineat Episcopus & Capi-*  
*ulum Cathedrale; in propria autem Ecclesia præ-*  
 cedit

cedit Parochus omnes, etiam in maiore dignitate Ecclesiastica constitutos. Vide *Leur.* q. 448. Quid possit quoad impediendas varias functiones Regularem, & quoad ædificationem novorum Monasteriorum, videri potest *Leur.* q. 442. & seqq. Item quid possit aut debeat facere circa bona suæ Ecclesiæ, habet *Leur.* q. 445. & seqq.; Non potest autem ferre censuras, quia hoc spectat ad jurisdictionem fori externi; Denique de jure Parochi, maximè circa funera, portionem canonicam, oblationes, decimas, præmitias, videri potest *Leur.* q. 449. & seqq., & aliqua addemus à n. 1361.

609 §. XII. Quæ sit Parochi obligatio quoad condiciones, dictum est l. 3. p. 1. à n. 763. Item à n. 767., quandonam potissimum peccet in officio; Item à n. 749., an teneatur ad Curam per seipsum. Item à n. 754., quæ sit ejus obligatio tempore morborum & belli. Item à n. 762., an quandoque teneatur Missam offerre pro parochianis. Quomodo autem & sub qua pœna teneatur habere intentionem recipiendi Sacerdotium, illudque intra annum recipere, dicitur n. 748. & 859.; item de obligatione faciendi professionem fidei, dicitur n. 740. Denique legenda est à Parocho admonitio, quam ad Pastores sui gregis habet Deus, *Isaia* 34. *Dices pastoribus &c.*

610 Q. 80. Quanam beneficia conferri debeant per concursum. R. Generalis regula est ex *Trid.* Sess. 24. c. 18. de Ref., & ex Bulla *Pii V.* In conferendis beneficiis, 4<sup>ta</sup>., quòd omnia beneficia parochialia conferri debeant per concursum, ad quemcumque collatio spectet, etiam si ad Abbates, ad exemptos, ad Papam ipsum. Exceptiones tamen sunt multæ, quas recensent *Barb.* de off. Paroch. c. 2. à n. 14. & iterum n. 126. *Castrop.* t. 13. d. 3. p. 2 §. 5. *Nicol.*

*Nicol. t. 1. d. 6. §. 6. Leur. p. 1. q. 206.*, nam omitti potest concursus,

1. Si quis in manus Papæ resignet parochiam in favorem alicujus, aut etiam liberè, uti volunt *Gonz. ad Reg. 8. Cancel. Gl. 6. n. 116. & Pias. p. 2. c. 5. n. 9. contra Barb. de pot. Ep. all. 60. n. 21. & Corr. l. 3. c. 3. n. 5.*

2. Si Papa alicui Romæ præsentem conferat parochiam reservatam in partibus.

3. Si duo apud Episcopum permutent beneficia, vel ambo curata, vel curatum cum simplici, *Garc. Zech. Paris. l. 8. q. 9. n. 95. contra Less. l. 2. c. 34. n. 85.*

4. Si alicubi sit consuetudo immemorialis, ut Parochi optent Ecclesias vacantes.

5. Si in provisione alicujus parochiæ non sit observata forma à *Trid. & Pio V.* præscripta, tunc enim confert sine concursu, vel Papa vel alius inferior, ad præsentationem Patroni, *Corr. Gonz. n. 126.*

6. Si per concursum electus intra quadrimestre non exhibuerit collatori testimonium suæ præelectionis, tunc enim conferri potest tertio sine concursu, *Corr. Gonz. n. 131.*

7. Si Parochia sit accessoriè unita Vicariæ perpetuæ, Dignitati vel Canonicatui. Aliud est, si æquè vel magis principaliter se habeat in unione, *Garc. Gonz. Corr. Leur. q. 120.*

8. In provisione Dignitatum habentium Curam animarum in Collegiatis Ecclesiis, *Corr. Garc.*

9. Si in Collegiata per Canonicos hebdomadarios exerceatur Cura, *Garc. Corr. Luca de Parochis d. 37. n. 37.*

10. Si Parochia sit juris patronatûs laicalis. Excipite tamen, nisi unita fuerit beneficio liberæ collationis, aut ex privilegio tantùm vel consuetudine esset

esset jus præsentandi, aut plures æqualiter essent præsentati, aut penderet lis super jure patronatus, aut provisio devolveretur ad Episcopum, in his enim casibus institui deberet concursus.

11. Etiam omittitur concursus, si patronatus sit mixtus, quamvis alii cum *Diana* p. 9. T. 3. R. 18. dicant tunc habendum, quia ubi agitur de favore & bono Ecclesiæ, putant Clericos habendos esse potiores; *Corr.* dicit, si mixtura sit æqualis, tunc certò non requiri concursum, ob declarationem S. Congreg.; si autem pars Clericorum sit major, requiri.

12. Si Parochia sit litigiosa, & unus litigantium moriatur, tunc enim Papa solet surrogare alterum.

13. Si beneficium parochiale sit regulare, & conferatur Regulari: si autem conferatur sæculari, requiritur concursus, *Garc. Corr. Barb. alleg. 6. n. 33.*

14. Si ob tenues redditus non offerant se oppositores: aliud est, si se offerant, *Garc. p. 9. c. 2. n. 220. Barb. n. 38.* Item omittitur, si ideo præviderentur rixæ vel diffidia, *Corr.*

15. Si quis per regressum obtineat parochiam, v. g. quia ipsi, postquam resignavit, non solvitur pensio constituta, *Garc. n. 168.*, dicit tamen *Leur. p. I. q. 207.* non posse sine concursu parochiam vacantem dari illi, qui eam antea per concursum obtinuerat & resignarat.

16. Si sit habitu tantùm parochialis, *Zerol. Corr.*

17. Si Electus per concursum nolit consentire in pensionem impositam in favorem alterius, tunc enim potest Papa prævio examine sine concursu conferre, cui voluerit, *Gonz. Corr.*

18. Cardinales Episcopi existentes in Curia possunt conferre parochiales suæ diocesis sine concursu.

611 Q. 81. Quid notandum sit circa provisionem beneficij per concursum. R. Seqq.

§. I. Modum instituendi concursum describit *Trid. Sess. 24. c. 9. de Ref.*, ac imprimis statuit, ut cum vacaverit parochia, Episcopus constituat Vicarium, qui deserviat cum congrua portione fructuum, nisi forte vicinus Parochus vel alius id præstet; poteritque talis deserviens consequi etiam emolumenta Curæ & oblationes, *Barb. de Off. Parochi c. 14. n. 10.*: sed cum Parochi in his partibus habeant annum gratiæ, hæredes constituunt deservientem ab Ordinario approbandum.

§. II. Tempus indicendi concursum sunt 6. aut 612  
4. menses: haberi autem debet à tempore edicti publicati ad summum intra 20. dies: quod si intra hos dies non haberetur, putant *Garc. & Lost. l. 2. q. 31. n. 41.* provisionem fore invalidam, & addit sæpe ita resolutum esse à Rota, quia videtur esse contra formam sub poena nullitatis præscriptam: sed *Castrop. T. 13. d. 3. p. 2. §. 1. n. 9.* dicit valituram, quia quando aliquis habet facultatem ad aliquid, licet ei præscribatur modus faciendi, non ideo tollitur facultas, si illum negligat, quia forma substantialis manere potest, quæ hic est, ut fiat edictum, instituatur examen &c. hinc etiam *Less. l. 2. c. 34. n. 85.* dicit non omnia hic præscripta, esse ubique usu recepta; *Trid.* ipsum in fine addit, *licebit etiam synodo provinciali, si qua in supradictis circa examinationis formam addenda remittenda esse censuerint, providere.* Et in vasta diœcesi Monasteriensi ordinariè dantur duo aut tres menses, tum ut notitia faciliùs perveniat ad omnes, tum etiam ut oppositores colligant testimonia, relegant casus ac se meliùs disponant: post elapsum verò tempus in edicto præscriptum adhuc expectari potest ad aliquos dies, *Corr. l. 3. c. 4. n. 25.*

§. III. Concursum talem indicere non potest, ni- 613  
si Epi-

si Episcopus vel ejus Vicarius, aut in dicecesibus nulli Episcopo subjectis, Abbates habentes jurisdictionem quasi Episcopalem in parochias incorporatas, *Leur. p. 1. q. 205.* Unde licet, v. g. Archidiacono competat collatio, ipse tamen autoritate sua non potest proponere edictum pro concursu, *Paris. Leur. p. 2. q. 723. n. 3.* ex decreto S. Congreg. De Capitulo Sede vacante, vide dicta n. 601.

614 §. IV. Debent esse plures, qui concurrant, alioquin non est reipsa concursus. Quod si compareat unus, qui reperiatur dignus, debet ei conferri, *Garc. Castrop. n. 8.* Si autem nullus vel tantum indigni compareant, potest liberè conferri, aut pro alio tempore indicendus est novus concursus, *Luca ad Trid. d. 32. à n. 35.* Si nec tum compareat dignus, confertur sine concursu: possunt autem oppositores semper vocari sine edicto publico, *Leur. p. 1. q. 181.*

615 §. V. Determinatum tempus semel publicatum mutari non debet, quia oppositoribus, qui se sistunt, tacite per edictum promissa est observatio hujus temporis. Quod si examen fieret ante completum tempus edicti, provisio esset irrita, *Garc. Corr. Castrop. §. 4. n. 2.*; si tamen postea nullus alius oppositor se sisteret, *Corr. Lott. Lamb. Calder. & Leur. q. 183.* putant fore validam. Econtra si quis finito tempore edicti velit adscribi inter oppositores, de jure admitti non deberet, quidquid contradicant aliqui apud *Leur. q. 182.*, quia soli intra designatum tempus inscripti videntur acquisivisse jus, consuetudo tamen habet, idque in favorem Ecclesiæ ad delectum tantò majorem habendum, ut adhuc admittatur, *Garc. Barb. Castrop. §. 2. n. 2. Corr. n. 23.* Quod si aliquis post concursum se sistat reliquis omnibus dignior, præferri non debet, *Castrop. d. 2. p. II. §. 2.*



n. 5., obligatio enim præferendi digniorem intelligitur sine violatione formæ præscriptæ & contractus initi cum oppositoribus vocatis ad concursum: potest tamen, si examen censeatur necdum esse finitum, admitti, *Carden.* in 2. crisi d. 28. n. 42. & 43.: Si verò quis jam adscriptus inter oppositores legitimè impediretur, & monuisset Ordinarium, secundùm *Garc. & Corr.* n. 23. posset, secundùm *Castrop.* d. 3 p. 2. §. 4. n. 3. deberet ad aliquod tempus suspendi examen; si autem concursu planè finito & electione jam factâ desisteret ille, qui fuit agnitus dignior, deberet institui novus concursus, *Garc. Corr. Zerol. Leur.* q. 199., etiam post lapsum quadrimestre aut semestri, inquit *Castrop.*, n. 4. contra *Garc.*

§. VI. Potest etiam ille, qui est constitutus deserviens, concurrere pro hac parochia, quam si per concursum obtineat, poterit pergere deservire absque periculo intrusionis, quia hoc facit ex vi prioris mandati, ut deserviret tanquam Vicarius, *Castrop.* n. 5. contra *Garc.* 616

§. VII. Parochus in una, potest concurrere pro alia parochia, quia licet celebrarit nuptias cum sua, hæ tamen sunt absolutè solubiles, *Barb. Garc. Corr. Castrop.* §. 2. n. 3. 617

§. VIII. Si parochia vacet per resignationem in manus Episcopi, non potest ad concursum pro illa admitti consanguineus, affinis vel familiaris Episcopi, collatorum aut resignantis, quia obstat Bulla *Pii V.* secundùm declarationem S. Congreg. apud *Garc.* p. 9. c. 2. n. 2II., & apud *Corr.* n. 10. Et de illa dicetur à n. 10II. 618

§. IX. Episcopus potest statuere examinatores tot, quot volet, *Barb. Corr.* Debent autem statui saltem sex, qui sint Doctores vel Licentiatii in Theologia 619

logia aut jure Canonico, vel si hi defint, Clerici, seu Regulares, etiam ex Ordine Mendicante, seu non Regulares, qui ad id videbuntur idonei, quos eligere debet Synodus Diocesana vel Episcopus designare, quoties Synodus erit. Quod si quatuor tantum vel quinque essent designati, per nullum horum valide posset haberi examen, uti decisum esse testantur *Garc. n. 64. & Castrop. §. 3. n. 2.*: Si aliquis ex illis sex moriatur aut aliud discedat, debet in prima Synodo compleri numerus, & interea examinabunt reliqui, qui supersunt, etiam si esset unicus, *Garc. n. 69.* Posset etiam tum Episcopus cum consilio Capituli usque ad Synodum hunc numerum complere per alios ex antiquis examinadoribus, aut si hi deficient, per alios idoneos, *Garc. à n. 70 Corr. Lott. n. 71. Castrop. n. 5.* Potest etiam Episcopus cum consilio Capituli, elapso anno designationis, & Synodo absque culpa ejus non celebrata, designare alios, quos volet, *Barb. Ricc. Garc. n. 90. Castrop. n. 6.*, quamvis *Diana p. 3. t. 5. R. 64.* dicat decisum esse, ut si singulis annis Synodus non fiat, examinadores semel deputati pergant exercere munus suum, donec habeatur nova Synodus; si autem anno elapso aliquis ex eis mortuus fuerit, putat officium omnium expirare; & addit cum *Garc. Corr. Lott.* Episcopum tum non posse designare alios, si possit & non celebret Synodum.

620 §. X. Examinadores pro concursu debent esse saltem tres ex Synodalibus: si autem ad hos addatur alius non Synodalis, *Garc. n. 324. Diana R. 65. Luca n. 2.* dicunt omnia fore irrita, quia uti non debet demi, ita non debet addi ad formam prescriptam: sed *Castrop. §. 4. n. 5.* dicit hoc non obstare, quia superabundantia non potest nocere, quando non immutat nec demit de requisitis.

§. XI.

§. XI. Si in examinatore designatus sit ille, qui, 621  
v. g. hunc Canonatum Doctorem possidet, non  
ideo successor vel substitutus illius est designatus,  
quia cum *Trid.* supponat omni anno mori posse,  
non vult ita annecti dignitati vel officio, *Garc. Cas-*  
*trop.* §. 3. n. 8. contra *Ledesm.*

§. XII. Examinatores debent tactis Evangeliiis 622  
jurare, quod sine humano affectu velint exequi mu-  
nus: & si non præcesserit juramentum, vel tacta  
non sint Evangelia, *Garc.* à n. 355. *Barb. c. 2.* à n.  
76. dicunt examen esse irritum, sed *Castrop.* §. 4. n.  
7. dicit manere validum, putat enim juramentum  
non spectare ad formam examinis sed tantum ad re-  
ctum illius usum: potest autem juramentum fieri in  
Synodo, vel extra coram Notario, *Garc. Corr. Leur.*  
q. 189.

§. XIII. Rectè docent *Gonz. Garc. Barb. Ricc.* 623  
*Castrop.* n. 8. *Leur.* q. 192., examinatores debere  
examinare, & saltem exquirere ante vel post exa-  
men de pluribus, quàm de scientia, nam *Trid.*  
dicit, *peracto examine renunciatur, quotcumque*  
*ab eis idonei iudicati fuerint, atate, moribus, do-*  
*ctrinâ, prudentiâ & aliis rebus ad vacantem Ec-*  
*clesiam gubernandam opportunis.*

§. XIV. Examinatores peccant mortaliter, si ante vel 624  
in concursu in præjudicium tertii moneant vel in-  
formant examinandum de punctis quærendis: de  
cætero in aliis examinibus, quando sciuntur esse sa-  
tis docti, & forsan ex metu vel verecundia turbandi  
sunt, non est mortale præmonere, *Peyr. Diana* p. 5.  
t. 14. R. 89. Si tamen Episcopi coram Papa exami-  
nentur, non possent præmoneri, quia examinato-  
res prius jurant se nequidem in genere præmonitu-  
ros de eis, quæ sunt interrogaturi, *Diana* p. 10. l.  
16. R. 38.

625 §. XV. Videtur esse de valore concursus, ut Episcopus vel ejus Vicarius interfit, *Lott.* n. 57, quamvis *Luca* n. 12. insinuet posse præesse alium ab Episcopo designatum: potestque Vicarius præesse, etiam non impedito Episcopo, *Garc.* n. 119. Ad solum tamen Episcopum spectat conferre digniori, *Garc.* p. 5. c. 8. n. 109., quamvis in examine de idoneitate non habeat votum pro vel contra, nisi quando vota examinatorum sunt paria aut omnino singulariter divisa, *Garc.* p. 9. c. 2. n. 56. *Castrop.* n. 6. *Leur.* q. 195.

626 §. XVI. *Med. Led. Nav. Az. Sanct.* aliique dicunt examinatores teneri indicare digniorem, quamvis Episcopus non petat aut nolit sibi dici, tum enim procedit malâ fide: Sed *Garc.* n. 108. *Castrop.* n. 9. *Diana* p. 3. t. 5. R. III. *Lott.* n. 98. probabilius negant, quia non sunt iudices excessus sed idoneitatis: addit tamen *Lugo* de just. d. 35. n. 65. eos posse & optimè facturos esse, si indicent digniorem, potestque de hoc eos interrogare Episcopus, *Barb.* n. 66. 89. & seqq.; imò *Lugo* n. 67. innuit communiter indicare debere, licet non interrogentur, ne videantur censere omnes esse ferè æquales, adeoque Episcopum posse præferre, quem volet. Possunt autem referre suum iudicium eodem tempore, scripto vel voce, palàm vel secretò, *Leur.* q. 191. Quòd si Episcopus aliunde habeat informationem de oppositoribus, quoad eligendum digniorem non tenentur se accommodare iudicio Examinatorum, quia iudicium ultimum circa excessum spectat ad ipsum, *Leur.* q. 196. Ex quibus autem absolutè desumi debeat iudicium de maiore idoneitate, videri potest *Leur.* q. 197. item dicta n. 598. & 622.

627 §. XVII. Semper est mortale in concursu digniorem postponere digno, ut sequitur ex dictis à n.

582., docentque omnes communiter cum *Lugo* d. 18. n. 107. & *Castrop.* d. 2. p. 11. §. 2. n. 5., qui cum multis addit §. 3. n. 2. talem provisionem ipso jure esse irritam, quamvis *Gonz. Garc. Lott. Lugo* d. 35. n. 71. *Leur.* q. 198. probabiliter dicant tantum esse irritandam.

§. XVIII. Post concursum est obligatio ex justitia dandi beneficium illi, qui judicatus est dignior, & si non fiat, debetur huic restitutio seu compensatio damnorum, *Mol. Gutt. Vasq. Less. Fernand. Rodrig. P. Nav. Castrop.* §. 4. n. 6. Ratio est, I. quia dignior habet jus ex lege, uti ait *Nav.* cum *Less.* n. 72. 2. Hic intervenit quasi contractus inter illos, qui indicunt concursum & qui concurrunt, uti dictum est l. 3. p. 2. n. 285. *Conf.* nam si concursus fieret sub promissione eligendi digniorem, evidens est, inquit *Castrop.*, tum fore ex justitia obligationem illi conferendi, atqui hoc ipso, quod indicatur concursus, semper æquivalenter fit promissio conferendi digniori, sicuti æquivalenter fit promissio non conferendi alteri extra concursum, uti fatentur omnes cum *Garc.* p. 7. c. 16. n. 58., ergo. Accedit, quod *Pius V.* concedat jus appellandi ab iniqua electione minus digni, ergo fit contra jus & est injuria respectu dignioris. *Nec obstat*, quod *Garc.* n. 57. dicat, quod non videatur includi promissio in indictione concursus ad beneficia non parochialia, ideoque non fieri injuriam digniori rejecto, nam n. 61. concedit in parochialibus fieri injuriam, neque invenio ullum, qui dissentiat: & quoad opinionem *Garcia* circa non parochialia, quamvis *Diana* p. 3. t. 5. R. 110. dicat opinionem illam esse probabilem & tutam in praxi, citetque pro ea *Led. Mercad. Sot.*, tamen postea p. 4. t. 4. R. 210. ubi eandem *Garcia* opinionem nudè dicit probabilem, subdit, *sed tu ne discedas*

*discedas ab opinione affirmativa*, quæ nimirum dicit fieri in utroque casu injuriam & deberi restitutionem.

629 §. XIX. Examine facto & recognitâ observatione formæ debet ille, qui judicatus est dignior, institui: quòd si forma observata non fuisset, quamvis Papa ipse unum ex vi concursus prætulisset aliis, provisio esset invalida, quia ad valorem semper supponit formam esse observatam, *Garc. p. 9. c. 2. n. 366. Castrop. d. 3. p. 2. §. 6. n. 5.*

630 §. XX. Si plures judicati sint æquè idonei, neque Episcopus possit aliter discernere digniorem, potest eligere, quem volet, cui fiat collatio, etiam si hæc ab alio facienda esset; & tunc eligitur, non positivè sed negativè dignior, id est, quo nullus alius dignior sit, *Garc. Castrop. n. 2.* Quòd si institutio competat Episcopo, electio autem Patrono, ad hunc spectat eligere, quis sit instituendus, *Nav. Az. Garc. n. 266. Castrop. n. 3.* Si verò Patroni Ecclesiastici eligant illum, qui manifestè est minùs dignus, Episcopus non tenetur illum instituere, quia tamen id constare non potest ante sententiam per Judicem appellationis datam, præsumendum est, quòd electus sit dignior, adeoque institui debet, quisquis electus fuerit, *Garc. n. 269. Castrop. n. 4.*

631 §. XXI. Contra examinatores pro beneficio curato non datur appellatio in ordine ad obtinendum beneficium, sed tantùm pro purganda nota infamiae; appellatio tamen hæc non potest fieri ad Ordinarium, quia examinatores idem tribunal constituunt cum Ordinario, *Castrop. n. 6. contra Garc.* In beneficiis simplicibus dari potest appellatio ab examinerum relatione vel judicio ad Superiorem Ordinarii, etiam in ordine ad obtinendum beneficium, *Gonz. Garc. n. 244. Castrop. n. 7.*; & idem esse in aliis

paroc

parochialibus, quæ per concursum non conferuntur, prætant *Garc. n. 245. Castrop. n. 8. contra Lott. apud Leur. q. 202.* Si tamen in concursu fuisset à plerisque saltem examinadoribus judicatus idoneus, & alius minùs idoneus te rejecto fuisset ab Episcopo electus, posses appellare ad Superiorem Episcopi, & provocare electum ad novum examen coram hoc, *Barb. n. 138. & 148.*, quæ appellatio licet non sit suspensiva electionis factæ, tamen est devolutiva causæ ad Superiorem, *Garc. n. 247. Castrop. n. 9. Leur. q. 201. & 203.* Ut autem appellans vincat, debet per secundum examen judicari dignior electo, & si electus iterum appellet, uti potest, antequam excludatur ex possessione, debet appellans obtinere tres sententias conformes, vel unam, quæ transeat in rem judicatam, tuncque provideri à Judice appellationis, si collatio spectabat ad Episcopum, à quo appellatum est; si autem spectabat ad alium, ad hunc spectat provisorio, *Gonz. Castrop. n. 10.* sed rectè notat *Luca n. 20.* ejusmodi appellationes communiter sola incommoda afferre utrique parti.

§ XXII. *Trid. supra addit, caveantque (Exa- 632*  
 minatores) *ne quidquam prorsus occasione hujus examinis, nec ante nec post accipiant, alioquin simonia vitium tam ipsi quàm alii dantes incurrant, à qua absolvi nequeant, nisi dimissis beneficiis, quæ quomodocumque etiam antea obtinebant, & ad alia imposterum inhabiles reddantur.* Ex hoc loco deducit cum aliis *Barb. à n. 79.*, examinatores nihil, etiam quantumcunque leve, posse acceptare, quamvis gratis & liberaliter oblatum ab aliquo examinando vel examinato, posse tamen Episcopum aliquid de suo illis dare titulo præmii, stipendii vel laboris: docent etiam *Nav. l. 4. Confil. 53. de simonia, & Zerol. in praxi Episc. p. 1. v. Parochia § 2. d. II.*

si acciperent quid modicum, v. g. valorem trium Juliorum, non incidere in labem simoniæ, quoad forum conscientiæ; modò hoc non accipiant pro favore præstando, sed omnino gratiosè, quia in materia simoniæ juris tantùm Ecclesiastici putant dari parvitatem materiæ, quamvis non detur in simonia juris naturalis, secundùm dicta l. 3. p. 1. n. 198., & disparitas est, quia quando temporale non datur ut pretium rei spiritualis, sed actio ideo tantùm est simoniaca, quia prohibita est ex motivo Religionis ad cavendam omnem speciem simoniæ, reipsa non fit injuria rei spirituali, cùm non æstimetur temporali, sed tantùm est transgressio præcepti respicientis reverentiam rei spirituali debitam, ergo sicuti potest quis alia præcepta transgredi graviter aut leviter, prout materia est gravis vel levis, ita & hìc: quidquid fit de hoc, si supponamus ab aliquo examinatore vel examinando commissam esse simoniam gravem occasione concursus, putat *Garc.* totum examen esse ipso facto irritum, sed meliùs contradicunt *Castrop.* §. 4. n. 7. & *Luca* n. 16., nam hoc non attingit formam, sed tantùm reprobatur abusus, & cùm ejusmodi simonia possit sequi, non debet nocere illi, qui judicatus est dignior.

Qui plura volet circa examinadores synodales, legat *Barb.* à n. 37. & 57., item *Leur.* q. 186. & seqq.

Quæ forma servanda sit in provisione beneficii magistralis & doctoralis; item beneficii simplicis, habet *Castrop.* d. 3. p. 3. & 4.

633 Q. 82. Quid agendum sit illi, qui beneficium vacans vult obtinere. R.

§. I Narrare debet se esse Clericum, legitimè natum, esse idoneum, habere ætatem, *Cap. Cùm adeo*, de Rescriptis, *Rosa* de Exec. litt. Apost. p. 1. c. 6. à n. 275. Attamen non obest valori, si expressa horum mentio



tio omittatur, quia jure ipso supponuntur in petente, & verificari debent apud Executorem, *Az. Castrop. t. 13. d. 2. p. 31. §. 4. n. 2.*

§. II. Exprimi debet qualitas beneficii impetrandi, etiamsi detur Rescriptum motu proprio, *Rosa à n. 122.*, an nempe sit perpetuum; an actu, saltem in spe, curatum vel simplex; an juris patronatus; an in Ecclesia Cathedrali aut insigni Collegiata; an residentiale, *Castrop. à n. II. Rosa à n. 130. & 150. Leuv. p. 1. q. 175.* Quòd si dicatur esse curatum vel residentiale, quando non est, provisio videtur irrita, *Menoch. Castrop. n. 15.*, uti & tum irrita est, si narratum non sit esse electivum, *Az. Sanch. Castrop.* Item si sæcularis impetrans taceat beneficium esse regulare vel contrà, *Sanch. Castrop. n. 19. Rosa à n. 126.* Item si impetrans hospitale vocet beneficium, aut si impetrans beneficium unitum taceat unionem, aut si non narret beneficium esse monoculare, *Castrop. à n. 20.* Si autem sit curatum, debet expressa curæ & ætatis fieri mentio, *Luca de benef. disc. 55. à n. 17.*

§. III. Post expositam qualitatem beneficii narrandum est, quòd vacet, per hæc verba, *cùm vacaverit & vacet ad præsens.* debetque hæc vacatio probari posse indubitatè, *Leuv. p. 3. q. 16.*, sive sit vacatio de jure sive de facto, *Castrop. p. 22. §. 5. n. 9.* & nisi beneficium vacet, sicuti narratum est, gratia est nulla, debetque vacatio verificari tempore datæ, *Cap. Eam, de Rescrip. Paris. Lott. l. 3. q. 8. n. 41.*

§. IV. Quamvis jure antiquo, uti & novo in Gallia, non sit opus narrare modum, quo vacat, tamen alibi est opus per Reg. 46. Cancel., sub pœna nullitatis, ut narretur unus saltem modus, quo vacat, *Barb. Lott. Rosa c. 5. à n. 26. & c. 6. à n. 191.*, nisi conferatur ex devolutione, *Tond. Barb. Lott. Garc. Leuv. q. 10.*, & quando ex devolutione confertur,

non potest intelligi vacatio, licet in Rescripto addatur, *sive vacet premissis, sive quovis alio modo*, *Rosa* à n. 229., estque saltem tutius narrare, an vacet de jure tantum, an etiam de facto, de quo vide dicenda n. 885. & *Rosa* à n. 212. Quod si narretur vacare per obitum, cum tamen vacet per resignationem, vel contra, Rescriptum etiam motu proprio datum vitiat, *Cap. Susceptum*, de Rescrip. in 6. *Felin. Selv. Menoch. Az. Castrop.* p. 31. §. 4. n. 23. *Rosa* à n. 221. Si tamen narratum esset dubitative, v. g. per, *for- san, uti creditur, sicut putatur, prout asseritur*, non esset opus determinate verificari talem modum, cum non asseratur, *Gonz.* ad Reg. 8. Cancell. Gl. 32. à n. 12., unde expedit ponere, *cum vacet hoc modo vel quocunque alio*, quia in alternativis sufficit verificari unum. Vide *Leur.* q. 13. Imò *Menoch. & Castrop.* dicunt, si nullum vacationis modum exprimas, gratiam plerumque non ideo fore subrepticam, quia quando dicitur vacare & non additur, quo modo, intelligitur omnis vacationis modus, quorum uno vacet.

637 §. V. Etiam exprimendum est nomen illius, per cujus cessum vel decessum beneficium vacat, quia ita servat stylus Curiae: Similiter exprimendum est nomen Sancti istius Ecclesiae, in qua est beneficium: si tamen hoc omittatur, vel erretur in exprimendo, secundum *Castrop.* n. 23. & 27. *Rosa* n. 190. & alios, non ideo vitiat Rescriptum, quia hoc nec ad substantiam nec ad faciliorem concessionem gratiae pertinet. Etiam exprimenda est dioecesis, in qua est beneficium, *Rosa* n. 267. Multò maximè exprimendum est nomen impetrantis, in quo si erretur, putat *Rosa* à n. 169. Rescriptum non esse exequibile.

638 §. VI. Per Reg. 8. Cancell. debet sub poena nullitatis narrari mensis vacationis, *Gonz. Castrop. Rosa* à n. 251. *Leur.* p. 2. q. 564. & p.

3. q. 11. Et hæc narratio debet verificari de isto determinatè mense, qui narratur; nec hìc juvant clausulæ generales, *hoc vel alio mense*, nisi planè resciri non posset, uti si beneficiatus reperiretur submersus. Vide *Leur.* p. 3. q. 14. Si tamen beneficium sit vel devolutum, vel resignatum, vel patronatùs laicalis, vel litigiosum, aut aliunde reservatum, non requiritur expressio mensis, quo vacavit, *Gonz. Garc. Castrop.* p. 22. §. 5. n. 11.

§. VII. Si beneficium sit reservatum vel affectum à Papa, hoc etiam narrari debet, etiam si gratia daretur motu proprio, *Gonz. Castrop.* p. 31. §. 4. n. 24. Similiter narrari debet causa amotionis, si quis iterum petat idem beneficium, *Cap. 26.*, de Rescrip.; si autem à Sede Apost. petatur parochialis, eò quòd in ejus provisione non esset observata forma *Trid. & Pii V.*, satis est narrari non esse observatam formam, sed postea apud Executorem verificari debet, in quo sit neglecta, *Rosa, Anch. Inn. Corr. Leur.* p. 1. q. 176.

§. VIII. Si alicui tertio jus beneficii competat per collationem, electionem, præsentationem, id narrari debet, quamvis necdum sit facta acceptatio, quia Papa non censetur velle tollere jus quæsitum alteri, *Castrop.* n. 29. Vide *Rosa* cap. 6. à n. 225. Et quamvis in Rescripto diceretur, *non obstante jure alteri quæsito*, putat *Azor* intelligi de jure invalido, nisi aliud exprimatur: attamen de jure tertii incerto, eventuali & non considerabili, non necessariò facienda mentio, *Rosa* n. 101. Si alius sit in possessione beneficii saltem colorata & solo etiam facto, etiam narrari debet, *Cap. Cum nostris*, de Conces. præb. *Gonz. Lott.* Vide *Rosam* à n. 212. & *Leur.* p. 3. q. 12. Excipe, nisi Rescriptum esset cum clausulis, *vocatis vocandis*, aut *amoto quolibet illicito detentore*; item secundum

cundum *Castrop.* n. 30., si fit cum clausula, *motu proprio*. Quod si alter detinisset beneficium per annum, hoc specialiter esset narrandum, quia annalis detentio dat speciale jus, uti dicitur à n. 680., si tamen beneficium dimisisset, non esset opus narrare, quod antehac ita detinisset.

641 §. IX. Etiam lis de beneficio narrari debet: quod tenet *Castrop.* n. 32., etiamsi lis esset de sola possessione, sed *Menoch.* requirit litem de titulo. Similiter si impetrare volens possideat sine titulo aut per intrusionem, debet hoc ipsum narrari, aliàs vitiatur Rescriptum, etiamsi fit ex motu proprio, *Menoch. Castrop.* n. 25.

642 §. X. Petens, etiam narrare debet, si habeat aliud beneficium, etiam tenue, Cap. 17. & 42. de Rescript. Cap. Si motu proprio, 23. de præb. in 6., etiamsi esset tantum Vicaria, dummodo sit perpetua, Cap. 27. de Rescript. Et etiamsi haberet tantum jus ad rem, Cap. 32. de Rescript. *Menoch. Az. Castrop.* n. 3. & 4. Item, quamvis beneficium illud per vim vel intrusionem possideret, *Menoch. Castrop.* n. 7. Et addere debet, an fit curatum: item an habeat pensionem in titulum, uti volunt *Menoch.* & alii contra *Az.* & alios apud *Castrop.* n. 5. Et quando ratione paupertatis petit aliud beneficium, narrare debet, quale habeat patrimonium, argum. Cap. 27. de Rescrip. Item an habeat præstimonium &c. *Menoch. Az. Castrop.* n. 9. Vide dicenda n. 908.

643 §. XI. Etiam exprimere debet valorem beneficiorum, quæ vult simul habere. *Menoch. Sanchez. Castrop.* n. 16. *Rosa* à n. 240. Putat tamen *Castrop.*, si falsò exprimat valorem illius, quod petit, non vitiari rescriptum motu proprio datum: quod autem attinet ad Hispaniam, Galliam & Germaniam, valor non

non exprimitur, qualis in se est, sed sufficit fieri mentionem, quod non excedat valorem 24. ducatorum secundum communem æstimationem. Vide *Luca* de benef. disc. 72, & 90. item dicenda n. 676. & seqq.

§. XII. Si promissisti resignare beneficium præhabitu, *Felin.* & *Menoch.* putant faciendam esse hujus promissionis mentionem, sed *Castrop.* dubitat, cum hoc sit quid extrinsecum, nec de eo invenitur lex. Quod si nesciveris te habere aliud beneficium vel jus ad illud, & ideo non narraris, non obstat sed excusaris, Cap. *Gratia*, 7. de Rescript. in 6., *Menoch. Az. Castrop.* n. 4.

§. XIII. Etiam narrare debet, si habeat aliquam dignitatem, Cap. *Ad aures*, de Rescript. *Menoch. Castrop.* n. 6. Item, secundum dicta l. 1. n. 811., narrare debet, si fuerit pluries dispensatus in ordine ad idem beneficium. Si tamen gratia motu proprio concedatur, non est opus facere mentionem de beneficiis obtentis, Cap. *Si motu proprio*, 23. de præb. in 6., *Sanct. Castrop.* n. 9.

§. XIV. Si aliquod statutum Ecclesiæ obstet impetrationi apud Papam, hoc ipsum narrari debet, alias vitatur Rescriptum etiam datum motu proprio, *Menoch. Castrop.* n. 28.

§. XV. Omnem narrativam Rescripto contentam verificari debere docent *Crescent. Moh. Roman. Paris. Gonz.* n. 57., quamvis aliàs necessaria non esset, cum sit pars gratiæ, hinc docet etiam *Rosa* n. 120., quod in beneficialibus quælibet minima subreptio irriter totam gratiam, sed probabilius est, secundum dicta l. 1. n. 806., si quid insertum sit non faciens ad substantiam rei nec attingens causam gratiæ, per hoc licet falsò expressum non vitari rescriptum, uti etiam diximus hic n. 637.

§. XVI.

648 §. XVI. Impetrare volens per Rescriptum in forma gratiosa, debet mittere testimonium idoneitatis dandum ab Episcopo originis, quia Papa non vult se exponere periculo conferendi inhabili vel indigno: si tamen rescriptum detur in forma, *dignum*, non est opus illo prævio testimonio, quia tum committitur Ordinario, ut examinetur idoneitas, & si reperita fuerit, ut conferatur beneficium.

649 §. XVII. Hactenus dicta procedunt, quando beneficium à Papa impetratur, non autem si ab Ordinario, qui censetur scire beneficiorum vacationem, qualitatem, valorem ac condiciones impetrantis &c. *Menoch. Sanch. Castrop. n. 33.*

650 §. XVIII. Pro Archi-Diœcesi Coloniensi statutum est 12. Aug. 1689. mandato Archi-Episcopi, ut nullus Regularis ad ullum beneficium sæculare cum vel sine Cura; item nullus sæcularis ad curata sæcularia vel regularia admittatur, nisi examinatus à tribus deputatis, & præmissis publicè proclamationibus in Ecclesia vacante tribus festis diebus continuis vel intercalavis.

651 Q. 83. *Quid circa supplicas, rescripta & litteras expeditionis sit præterea notandum.* R. Seqq.

§. I. Quid apud Papam in supplica pro obtinendo beneficio sit exprimendum, dictum est à n. 633., item dictum est n. 464., si quis supplicatis pro habendo beneficio tanquam vacante per mortem, cum tamen possessor adhuc viveret, impetrationem esse irritam.

§. II. Si plura impediant gratiam obtinendam, putant *Abb. Dec. Menoch. Led.* aliique cum *Sanch. de matr. l. 8. d. 23.* omnia esse simul exprimenda, nec satis esse singula per diversas supplicas narrari & per diversa rescripta dispensari, tum quia qui unicuique narrat, tacitè negat alia adesse, tum etiam quia  
si simul

si simul proponantur, apta sunt movere Papam ad negandam gratiam, si enim resciat aliquem laborare, v. g. sex impedimentis matrimonii, sæpe negabit dispensationem, quamvis daturus esset laboranti singulis. Contraducunt *Nav. Rodrig. Ceval. Sa*, quia potest unum tolli sine altero, & sic certum videtur, si quis impeditus voto & consanguinitate velit ducere Cajam, posse obtinere dispensationem voti, non factâ mentione consanguinitatis, pro qua postea petere poterit: sed rectè concludunt *Suar. Salas. Merol. Bonac. Rosa* de Exec. litt. Apost. p. 1. c. 6. n. 356., per se loquendo, valere petitionem ac dispensationem unius sine altero, nisi gravitas unius augeatur per alterum, aut non satis explicari possit non narrato altero: an autem in supplica pro dispensatione fieri debeat mentio alterius dispensationis ad eundem finem obtentæ, dictum est l. 1. n. 811.

§. III. Quandonam supplica aut rescriptum sit sub-vel obreptitium, intelligitur ex dictis l. 1. n. 806.; quando autem est tale, nihil operatur, nisi taciturnitas veri vel expressio falsi facta sit per ignorantiam, & non attingat causam finalem, Cap. 20. & 22. de Rescrip. *Rosa* à n. 19. & iterum à n. 26.

§. IV. Quid dicendum sit, si sub-vel obreptio in una tantum parte commissa sit, dictum est l. 1. n. 807.; si autem sit commissa à solo sollicitatore vel alio tertio, *Sanch. Tusch. Merol.* & alii dicunt non nocere quoad alteram partem, quia nullitas talis totius Rescripti, Cap. 20. de Rescrip. imponitur tanquam pœna perversitatis, quam hîc non commisit impetrans. Vide *Rosa* à n. 102.

§. V. Clausula, *motu proprio*, videtur sanare vitium subreptionis, non autem obreptionis, uti tenent multi apud *Rosa* n. 109., quia intelligitur, si expressa

pressa sint vera, uti putant *Sanch. Garc. Leur. p. 3. q. 455.* Videri possunt dicta l. 1. n. 814. & *Castrop. t. 13. d. 2. p. 31. §. 4. n. 11. & iterum à n. 17. Item p. 21. §. 5. n. 1.*

655 §. VI. Usu nunc receptum est, ut clausulæ generales nihil in particulari determinantes nihil operentur, cum per Scribas addantur secundum stylum Curia, uti testatur *Gastel. de usu & praxi curia Rom. pag. 233.* Circa clausulam autem, si preces veritate nitantur, sic habet Reg. 61. Cancell. item quod in litteris super beneficiis per Constitut. Execrabilis, vacantibus, ponatur clausula, si est ita, similiter de quibuscunque narratis informationem facti requirentibus: quamvis autem in Rescripto Papæ ad instantiam impetrantis concessio non exprimatur clausula illa, si preces veritate nitantur, subintelligi tamen debet, Cap. 2. de Rescrip. Jure autem civili expressè apponenda est, l. fin. Cod. de divers. Rescrip. Vide *Rosa à n. 20.*

656 §. VII. Circa clausulas derogatorias, diximus aliqua l. 1. à n. 806., quæ videri debent. Notandum autem est hic, quod Rescriptum concernens bonum publicum & Ecclesiarum utilitatem non censeatur sublatum per clausulas generales derogatorias, uti indubium esse scribit *Gonz. ad Reg. 8. Cancell. Gl. 9. §. 2. n. 18. citans Ferret. latè id probantem: & exemplum affert Nicol t. 1. d. 1. §. 12., in quo Urb. VIII. declaravit provisiones Apostolicas, quæ in præjudicium dati antehac pro utilitate Ecclesiæ indulti fuerent, esse nullas, quia essent præter mentem & intentionem Pontificiam. Quod si addatur generalis derogatoria cum clausula, quorum tenores &c. contra Rescriptum antè similitudinem clausulâ in futurum derogatoriâ & decreto irritante munitum, putat cum aliis *Barb. de claus. claus. 43. n. 17. ultimum Rescriptum**



scriptum non infringere vim prioris; contradicunt *Felin. Selva, Roman.* & innumeri alii, sed *Gonz. Gl. 36. à n. 13.* rectè concludit, quòd posterius prævaleat, si sit datum motu proprio: & n. 80. addit, in dubio standum esse pro primo, quod est in possessione.

§. VIII. Clausula decreti irritantis adjecta Rescripto ligat etiam ignorantes, & in causis beneficiis inficit titulum ac possessionem & omnes actus subsequentes in contrarium, ita ut ne coloratum quidem titulum relinquat vel patiatur, *Rota coram Duno.* dec. 25. n. 5. & decis. 317. n. 12. part. 16. & Dec. 31. n. 18. & dec. 192. n. 1. part. 18. recent. *Garc. Vvames. Chok. Nicol. d. 2. §. 5. & tit. 3. d. 2. §. 9.* Quòd si addatur, dummodo alteri non sit ius quasi-*rum*, intelligitur tantùm de jure valido, *Luca d. 54. n. 3. d. 56. n. 5.*

§. IX. Pro Rescripto sufficit exhibere transumptum Bullæ cum subscriptione Prodatarii & ejus sigillo ac subscriptione Notarii ad id deputati; & idem valet, quod originale, *Rota, Tond. Corr. l. 7. c. ult. n. 90.*

Q. 84. Quid notandum sit circa executorem litterarum Apostolicarum. R. Seqq.

§. I. Executor alius dicitur merus, alius mixtus; tum dicitur merus, si ipsi committatur nudum exercitium executionis absque exercitio jurisdictionis, uti communiter fit in litteris gratiosis Papæ; si tamen adsit legitimus contradictor & possessor in beneficio, tum ex mero efficitur mixtus. Mixtus dicitur, qui simul partes Judicis assumit, uti si Papa ei committat in forma, *dignum*, tum enim examinare debet narrata &c., ubi è contrà merus non cognoscit de sub-vel obreptione, sed hanc advertens nudè cessat ab executione, *Rosa de Execut. litt.*

Apost. p. 1. c. 6. à n. 1. Et communis sententia habet cum *Lugo* in Resp. Mor. l. 5. d. 4. per Rescriptum in forma, *dignum*, tantum acquiri jus ad rem, si autem sit in forma gratiosa, acquiri jus in re. Vide *Lugo* supra, *Sanch.* de Matr. l. 3. d. 29. *Fill.* t. 41. c. 3. n. 91. *Garc.* p. 4. c. 2. à n. 17. *Luca* d. 42. n. 3.

660 §. II. Quando in Rescriptis additur, *vocato* Titio, tunc executor est mixtus, præsertim quando Papa ipse non facit gratiam, sed committit faciendam, *Rosa* Cap. 8. à n. 1. Et si vocatus opponat, tenetur instituere processum ordinarium & appellabilem, donec res judicata per tres conformes executioni locum præbeat, *Luca* de benef. d. 48. n. 4. & d. 72. n. 7. & in summa n. 268.

661 §. III. Quid observare, & quomodo procedere debeat executor, tam merus quam mixtus, accurate explicat *Rosa* totâ p. 1., & *Cap. I.* agit de modis, quibus fieri debet supplica, & quibus dicatur gratia facta. 2. De necessitate & variis modis expediendi litteras. 3. Ad quos mitti soleant literæ expeditionis. 4. De præsentatione litterarum apud executores. 5. De clausulis apponi solitis in Rescriptis. 6. De enarrandis, ne committatur sub-vel obreptio. 7. Quomodo impetrans teneatur probare & justificare narrata. 8. Quomodo executor procedere debeat quo ad illam justificationem; & quis sit aut possit esse contradictor. 9. Quid agere debeat executor, si litteræ sint subreptiæ, abrafæ, defectuofæ, suspectæ; & quomodo corrigi possint. 10. Quamdiu duret potestas executoris; & an possit subdelegare. 11. Quæ & ad quem interponi possit appellatio à decreto executoris. 12. De executoribus dispensationum matrimonialium. 13. De Executoribus gratiæ *Si in evidentem*. 14. De executore in forma *gratia & dignum*. 15. De executore litterarum

rarum resignationis in favorem. 16. De executione Brevis à Camera de capienda possessione. 17. De exequendis literis gratiosæ subrogationis. 18. De executore gratiæ, *si neutri*. 19. De executione litterarum, quæ ad ipsos Oratores diriguntur.

*Parte 2. Cap. 1.* agit de executoribus litterarum justitiam continentium. 2. De narrativa facienda pro valida impetratione litterarum justitiæ. 3. De litterarum justitiæ expeditione & præsentatione coram delegato. 4. De clausulis in litteris justitiæ apponi solitis. 5. De potestate subdelegandi, quam habet delegatus à Papa. 6. Quomodo delegatus procedere debeat, & quandonam ab eo gesta sint irrita defectu jurisdictionis. 7. Quibus modis delegati jurisdictionis expiaret. 8. De appellatione à sententia delegati vel subdelegati.

§. IV. Si primò constitutus executor sit negligens vel malitiosus, potest impetrans post 30. dies implorare secundum, qui exequi poterit, si agnoscat culpam prioris, *Cap. Si Capitulo, de Concess. præb. in 6. Castrop. T. 13. d. 2. p. 31. §. 2. n. 5.*

Q. 85. *Quid notandum sit circa falsificationem litterarum Apostolicarum. R. Seqq.* 663

§. I. *Cap. 5. de crimine falsi* referuntur hi modi falsandi litteras Apostolicas, si Bulla falsis litteris apponatur: si filum veræ Bullæ inseri solitum, aut pars veræ Bullæ jungatur falsis litteris: si per rasuram aliquid immutetur: si deletis prioribus litteris superinducantur novæ: si Bullæ agglutinetur nova charta cum alia scriptione: qui Bullam recipiunt de alia manu quàm Papæ vel bullatoris: qui falsas litteras inter veras projiciunt, ut bullentur. *Cap. 6. ibid.* declarat Papa, quòd Episcopus in suis Bullis vocet Fratres, Principes autem filios, & nunquam loquatur in plurali, si uni scribat, atque etiam inde

cognosci posse litteras falsas. Similiter Cap. II. de Rescript. declarat *Lucius III.*, si Rescriptum Papæ contineat manifestum in latina constructione errorem, censeri debere falsum.

664 §. II. Cap. 9., de crimine falsi, declarat *Inn. III.* per rasuram paucarum litterarum in loco non suspecto, Rescriptum non probari falsum: è contrà si sit in loco suspecto, abrasio & correctio etiam in una tantùm syllaba vel puncto reddit litteras falsas, *Fagn. in Cap. Ex conscientia*, de crim. fals. n. 8., ubi à n. 16. notat eum locum suspectum dici, si fiat in nominibus Judicum, vel in data, vel in remotione appellationis: è contrà non esse locum suspectum, si fiat in narrativa facti, uti habetur Cap. *Ex litteris*, de fide instrum., nisi fieret ab impetrante, vel substitueretur scriptio diversâ manu. Quòd si litteræ clausæ sint redditæ executori, non nocet rasura, dummodo character non sit difformis, *Fagn. n. 21.*

665 §. III. Cap. 2. ibid. decernitur, quòd litteræ Apostolicæ falsificatæ nullam jurisdictionem vel potestatem tribuant, nec sint exequendæ. Item Cap. 7. sub pœna privationis omnium beneficiorum & excommunicatione latæ sententiæ prohibetur, ne ullus etiam prætextu ignorantia utatur litteris Apostolicis falsis.

666 Q. 86. *Quid agendum sit, si commissus sit error vel vitium in Rescripto aut supplica. R.*

§. I. Quamvis Papa censeatur habere jura omnia in scrinio pectoris, adeoque nunquam procedere ex ignorantia juris, potest tamen error intervenire, quia non omnia semper sunt in memoria Papæ: deinde expedientes Rescripta quandoque falluntur, & Papa bonâ fide iis credit. Nec novum est impetrata esse à Pontificibus multa per sub-vel obreptionem, quæ  
postea

postea revocata sunt. Videri potest Extrav. Joannis XXII. *Execrabilis*, de præb., ubi ambitionem talia extorquentem perstringit: Et ideo *Barb.* clausulâ 45. dicit, si Papa conferat beneficium tanquam reservatum, quod tale non est, conferre non vult.?

§. II. Varia circa errores in Rescriptis & supplicis diximus l. 1. à n. 806., quæ videri debent, & hic applicari: si autem quis errorem vel vitium advertat fuisse in supplica jam signata & registrata, potest sibi consulere per reformatorium, quo Papæ per aliam supplicam significatur error in priore commissus: quod si litteræ jam sint expeditæ, impetrari debet revalidatorium seu gratia, *perinde valere*, quæ sanat omnes errores, & retrahitur ad tempus primæ impetrationis, nisi interea fuisset jus alteri quæsitum; & hæc secunda gratia est independens à priore, ideoque ex illa potest procedi ad executionem non productis litteris primæ gratiæ. Vide *Lott.* l. 2. q. 54. à n. 52. *Ameyd.* l. 1. c. 14. *Rosa* p. 1. c. 6. à n. 316.

Q. 87. *An beneficia conferri debeant sine diminutione.* R. 668

§. I. Conferri debere sine diminutione statuitur expressè Cap. un. *ut Eccles. benef. sine diminut. confer.* Diminuitur autem beneficium per impositionem novi oneris, item per divisionem, dismembrationem, suppressionem, de quibus, & maximè quid circa ea possit Episcopus, videri debent dicta à n. 288.

§. II. Nulli præterquam Papæ licitum est in provisione ullum onus reale vel personale addere vel augere, quod ex fundatione non inest, uti habet communis & certa cum *Barb.* ad Trid. Sess. 25. c. 5. de Ref. *Lott.* l. 1. q. 32. à n. 8.; Episcopis tamen licitum est ob necessitatem, v. g. pro Ecclesia reparanda,

canda, subtrahere partem reddituum beneficii vacantis, item pro magna utilitate Ecclesie beneficio, dum vacat, novum onus adjicere, quod cum beneficio transibit ad providendos, *Gl. Abb. Az. Lay. Garc. Barb. Zoef. Engel. Lott. Leur. p. 1. q. 31. & p. 2. q. 776.*; idque insinuat *Cap. Significatum*, de præb., cujus titulus sic sonat, *Possunt Prælati & Capitulum præbendæ vacanti honestum onus imponere, ad quod præbendarius teneatur.*

670 §. III. Simonia est, si onera, etiam pia, & etiam quæ beneficio insunt, exigantur sub novo pacto, v. g. si beneficium conferatur sub pacto, ut beneficiarius juret se lecturum missas, ad quas fundatio obligat, uti dictum est. l. 3. p. 1. n. 70.; si tamen collatio non fiat sub pacto, ut juret, sed collator, antequam providendus habeat ullum jus ad beneficium, ab hoc perat juramentum, quod velit, v. g. residere, secundum obligationem beneficii, *Lay. & Garc. p. 8. c. 2. à n. 32.* putant esse licitum, & idem est, si alicubi sit statutum vel consuetudo, ut jurent se non renuntiuros in favorem tertii. Vide *Leur. p. 2. q. 770.*

671 Q. 88. Quid notandum sit circa Capitulationes ante acquisitionem beneficiorum, reservationes futurum, annos gratia &c. R.

§. I. De his edidit sequentem Constitutionem *Innocentius XII.* die 22. Septemb. 1695. Ecclesie Catholice per Universum Orbem diffusa regimini, meritis licet imparibus, Divinam dispositione præsidentes, ea, quæ à Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, sive ad illicitorum, ac præsertim Ecclesiasticæ libertati adversantium juramentorum abusum tollendum, sive ad quamcunque avaritiæ labem à personis in sortem Domini vocatis, quas, non quæ sua sunt, sed quæ JESU CHRIS-

STI,

STI, quærere maximè convenit, excludendam, prudenti salubrique consilio, ac illo, qui secundùm scientiam est, zelo constituta & ordinata esse noscuntur, Apostolici muniminis nostri patrocínio libenter roboramus, novisque præfidiis, ut servantur exactiùs, constabilimus, ac aliàs desuper concessæ Nobis à Domino potestatis partes studiosâ charitate interponimus, sicuti Ecclesiarum omnium, quam gerimus, sollicitudo postulat, Nòsque, omnibus maturæ considerationis trutinâ perpensis ad Omnipotentis Dei gloriam, rectam ac felicem Ecclesiasticarum rerum directionem, necnon animarum prætioso Unigeniti Dei Filii Domini Nostri JESU CHRISTI Sanguine redemptarum salutem expedire in Domino arbitramur. Dudum siquidem, Postquam fel. rec. NICOLAUS Papa III. Prædecessor noster, accepto in nonnullis Ecclesiis de earum consuetudine observari, ut cùm earum Prælati ad Ecclesias ipsas primò accederent, vel cùm de recipiendis ibidem novis Canonicis ageretur, nec Prælatos admitti, nec Canonicos aliter recipi in iisdem Ecclesiis, nisi jurassent statuta & consuetudines ipsarum Ecclesiarum scripta & non scripta inviolabiliter observare; Inter Laicos quoque multarum Civitatum, Castrorum & Terrarum eum consuetudinis morbum in suis Potestatibus, Rectoribus vel Officialibus assumendis irrepsisse; ut ipsi Potestates, Rectores & Officiales ad ejusmodi Potestarias, Rectorias & Officia nullatenus admitterentur, nisi priùs se statuta ipsorum locorum clausa servaturos similiter jurassent: In statutis verò, ac consuetudinibus supradictis interdum aliqua reperiri illicita sive impossibilia, vel Ecclesiasticæ libertati obviantia; ne sub tali generalitate jurandi sic Jurantibus peccandi occasio præberetur, animarum periculis obsistere cupiens,

piens, salubri suâ ac generali Constitutione præceperat à quibuscumque scientibus contineri in prædictis consuetudinibus & statutis illicita, impossibilia vel libertati Ecclesiasticæ obviantia, juramenta hujusmodi nullo modo præstari; Ac præterea decreverat talia juramenta eâ intentione facienda vel facta, ut etiam illicita vel impossibilia, seu Ecclesiasticæ libertati obviantia observarentur, cum etiam sub tali intentione præstari non possent absque Divinæ Majestatis offensa in hujusmodi illicitis, impossibilibus seu libertati Ecclesiasticæ obviantibus non servanda: quin potius pro animarum salute, si sub forma præfata vel simili aliquos ignorantes prædicta illicita seu impossibilia, vel libertati Ecclesiasticæ obviantia jurare contigisset, ad observanda dumtaxat licita, possibilia & libertati Ecclesiasticæ non obviantia Jurantium intentionem referri debere; declarans insuper juramenta sub hujusmodi generalitate qualitercumque & sub quacumque verborum forma præstita vel præstanda, ad licita, possibilia ac Ecclesiasticæ libertati non obviantia dumtaxat extendi, ipsosque Jurantes ad alia per præstationem juramenti hujusmodi non teneri; rec. mem. GREGORIUS Papa XIII. etiam Prædecessor noster per quasdam suas desuper sub plumbo expeditas litteras, quarum initium: Inter Apostolicas, &c. prædictam NICOLAI III. Prædecessoris Constitutionem, itidemque alias omnes Canonicas sanctiones de abusu & reprobatione juramentorum hujusmodi promulgatas innovavit, voluitque eas ubique ab omnibus, etiam quoad præterita, inviolabiliter observari. Præterea præcepit, & interdixit Prælati, Canonicis, & aliis super prædictis, necnon Ecclesiarum Capitulis & Monasteriorum, cæterisque Conventibus, Civitatum quoque, Castrorum & Terrarum Communitatibus

& per



& personis quacumque dignitate præditis, ne ulla omnino juramenta illicita, impossibilia, damnosa vel libertati Ecclesiasticæ aut Decretis Concilii Tridentini obviantia, sive ante sive post electiones, confirmationes, provisiones, receptiones, admissiones, aut alios actus ubicumque ac quocumque tempore, etiam prætextu cujusvis consuetudinis quantocumque tempore observatæ, quæ potius corruptela esset censenda, sive in genere, sive in specie præstare, reddere vel exigere, neve super præstitis, redditis vel exactis eousque quempiam in iudicio vel extra illud inquietare auderent quocummodo, vel turbare. Ac illos, qui juramenta illicita, impossibilia, damnosa, vel Ecclesiasticæ libertati, aut Decretis dicti Concilii obviantia exigere contendissent, Episcopos quidem & alios quoscumque Pontificali dignitate præditos à Divinis suspendit; Capitula verò & Conventus, eorumque Ecclesias & loca omnia interdicto Ecclesiastico supposuit, ac singulares personas excommunicationis sententiâ innodavit, inhabilesque fecit ad obtenta, & alia obtinenda eo ipso, sibi que & Romano Pontifici pro tempore existenti relaxationem suspensionis & interdicti, necnon absolutionem ab excommunicationis sententia huiusmodi perpetuò reservavit. Decernens eos, qui talia juramenta scienter præstitissent, usu & commodo rei ac gratiæ, cuius causâ jurassent, eo ipso privatos esse; alios verò ignorantes ad præstitorum juramentorum huiusmodi observationem minimè teneri, & aliàs prout in præfatis GREGORII Prædecessoris literis, quarum tenorem præsentibus pro plenè & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur. Porro antequam litteræ huiusmodi emanassent, similis mem. Pius Papa V. etiam Prædecessor noster, ejusdem Concilii Tridentini Decretis,

cretis, quibus ne quidquam, quod in usus pios non  
 convertatur, in electione, præsentatione, nominatione,  
 institutione, confirmatione, collatione vel alia  
 provisione sive admissione ad possessionem alicujus  
 Cathedralis Ecclesiæ, vel Beneficii, Canonicatum,  
 aut Præbendarum, vel partem proventuum, seu ad  
 distributiones quotidianas quoquomodo perfolvi  
 possit, strictissimè prohibetur, inhærens, suam hac in  
 re Constitutionem ediderat tenoris, qui sequitur,  
 videlicet: Pius Episcopus, Servus Servorum Dei. Ad  
 perpetuam rei memoriam. Durum nimis & incom-  
 modum arbitramur, quòd Ecclesiarum Ministri in  
 iis, quæ ad ipsorum sustentationem suppeditant, di-  
 spensia patiantur. Quocirca cùm hanc ad rem, simul-  
 que prohibendam ab Ecclesia Dei avaritiæ pravitatem,  
 editas antehac sanctiones minimè satis esse intel-  
 ligimus, novæ Cõstitutionis subsidio cogimur provi-  
 dere. Cùm itaque aliàs ex pluriù Ecclesiarum Cathedra-  
 lium, & Collegiatarum Constitutionibus, aut ex  
 prava consuetudine observari intelligeretur, ut in  
 electione, præsentatione, nominatione, institutione,  
 confirmatione, collatione, vel aliâ provisione, sive ad-  
 missione ad possessionem alicujus Cathedralis Eccle-  
 siæ, vel Beneficii, Canonicatum, aut Præbendarum,  
 vel partem proventuum, seu ad distributiones quoti-  
 dianas certæ conditiones seu deductiones ex fructi-  
 bus, solutiones, promissiones, compensationesve illi-  
 citæ, aut etiam quæ in aliquibus Ecclesiis dicuntur  
 Turnorum lucra interponerentur, licèt Sancta Syn-  
 nodus hæc detestata, mandaverit Episcopis, ut quæ-  
 cumque hujusmodi, quæ in usus pios non converte-  
 rentur, atque ingressus eos, qui simoniacæ labis aut  
 sordidæ avaritiæ suspensionem haberent, fieri non  
 permitterent, ipsique diligenter de eorum Constitu-  
 tionibus, sive consuetudinibus super prædictis co-  
 gnosce-

gnosce  
 reliqu  
 qui ac  
 poeni  
 multo  
 quàm  
 Minis  
 in var  
 Nos p  
 ad illu  
 fore r  
 que p  
 que E  
 rum,  
 rame  
 præfi  
 riam  
 conti  
 vel P  
 rum  
 urge  
 mult  
 quod  
 Can  
 Offi  
 ex e  
 etian  
 pali  
 rem  
 ced  
 fiæ  
 Ap  
 pi,  
 Off  
 ci p

gnoscerent, & illis tantum, quas probarent, exceptis, reliquas ut pravas & scandalosas rejicerent, eos vero, qui adversus prædicta quavis ratione commisissent, pœnis contra Simoniacos editis teneri decreverit; multorum tamen indomitâ cupiditate tam prædicta quàm alia ad beneficium & commodum ipsorum Ministrorum edita, aut omnino contemnuntur, aut in varios sensus traducta perperam eluduntur. Quare Nos pro Divini cultûs exercitio, simulq; evocatorum ad illum, auxilio plenius, evidentiusque consulendum fore rati, revocamus & abolemus omnia & quæcumque privilegia, consuetudines & statuta quarumcumque Ecclesiarum Cathedralium & Metropolitanarum, ac Majorum, necnon Collegiatarum, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, aut alio quovis præsidio munita, ac etiam supra hominum memoriam, & longissimo, & quantocumq; tempore etiam continuo observata, sive pro solvendis Ecclesiarum vel Prælatorum debitis, sive pro supportandis illorum oneribus, sive aliis etiam majoribus, maximis, & urgentissimis causis concessa & approbata, ac etiam multiplicatis vicibus innovata, extensa & moderata, quod vacantibus ipsarum Ecclesiarum Dignitatibus, Canonicatibus, Præbendis, Portionibus, Beneficiis, & Officiis, fructus, ac etiam quotidianæ distributiones ex eis primo ab ipsa vacatione anno, aut longiore vel etiam breviori tempore proventuri, mensæ Episcopali seu Capitulari, aliove loco integrè vel partim remaneant seu applicentur, aut in communes usus cedant, seu inter alios Canonicos & personas Ecclesiæ seu Capituli dividantur. Quodque nullus etiam Apostolicâ auctoritate provisorius in Canonicum recipi, aut ad Dignitatem, seu Portionem, Beneficium, vel Officium admitti, vel aliàs in ejus possessionem induci possit, nisi prius de observandis hujusmodi privilegiis,

legiis, consuetudinibus & statutis juramentum præstiterit, & obtentæ illorum derogationi, ac fructuum & distributionum perceptioni renunciaverit, seu Capitulo & personis prædictis cesserit, seu (ut appellant) dulciaria, aut quid aliud præstiterit; quorum omnium tenores, causas & effectus habemus præsentibus pro expressis, quibuscumque illa concepta sint formulis, nec non irritantibus & aliis Decretis roborata. Volentes ea omnia vires & effectum de cætero non habere. Præcipimus igitur & interdiciamus omnibus Episcopis, Capitulis, Collegiis & personis, ad quos id pertinet, ne posthac fructus aut distributiones hujusmodi, nec prorsus ullam eorum partem retineant, neve ipsorum cessionem vel renunciationem, aut dulciaria, vel alia quomodocumque petant vel exigant, aut quemquam sive Ordinariâ sive Apostolicâ Auctoritate provisum, ad præstandum hujusmodi juramentum inducant, aut illi prædicta non facienti possessionem impediunt vel remorentur. Quicumque contra fecerint, si Ecclesiarum Antistites, tamdiu à Pontificali officii exercitio sint suspensi, donec satisfactione præviâ illis per Sedem Apostolicam suspensio relaxetur: Capitula verò & Collegia quæcumque Ecclesiastico subjaceant interdicto, ac singulares personæ in excommunicationis sententiam incurrant, à qua, nisi in mortis articulo constitutæ, ab alio, quàm à Romano Pontifice, absolutionis beneficium nequeant obtinere; Decernentes hujusmodi præstita juramenta non tenere, nec quemquã illis obligari, quinimo jurantes in hujusmodi censuram incidere, nec non irritum & inane, quicquid secus super his per quoscumq; scienter vel ignoranter contigerit attentari. Et nihilominus statuimus, ut ubicumque hujusmodi fructus & distributionis Fabricæ vel Sacristiæ, aut alterius pii loci usibus ultra semestre tempus

pus répefiuntur concessi, horum dumtaxat dimidia pars ipsi Sacrifiæ vel Fabricæ, aut pio loco deinceps tribuatur, alteram verò Beneficiati prædicti integrè percipiant. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter vel divisim ab Apostolica sit Sede indultum, quòd interdici, suspendi, aut excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, Decreto prædictæ Synodi, ac etiam Constitutione fel. recordat. JOANNIS Papæ XXII. quæ incipit, Suscepti, & aliis juribus hac de re disponentibus nihilominus aliàs in suo robore duraturis. Cæterùm per prædicta non intendimus illis præjudicare Capitulis, Collegiis, Mensis, aut personis, fructus & distributiones inter vacationem Beneficiorum & eorum collationem sive possessionis apprehensionem provenientes ex statuto, consuetudine vel privilegio hujusmodi percipientibus vel retinentibus, quominus ipsi illos interim, ut antea, exigere valeant & habere. Postremò volumus, ut præsentium exempla etiam impressa, Notarij Publici manu, & Prælati Ecclesiastici ejusve Curiæ sigillo obfignata, eandem illam prorsus fidem ubique locorum in judicio & extra illud faciant, quam facerent ipsæmet præsentibus, si essent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ revocationis, abolitionis, præcepti, interdicti; Decreti, statuti, intentionis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno 1570. die

die 30. Junii. Cùm autem, sicut, non sine gravissimi nostri dolore, ex quamplurium, ac præsertim nonnullorum Venerab. Fratrum Archiepiscoporum & Episcoporum ad Apostolatam nostrum delatis querelis accepimus, adeo creverit tam salutarium legum transgressorum impudentia, ut non desint, qui sive avaritiæ, quæ est idolorum servitus, improbo affectu, sive ambizioso Ecclesiasticorum graduum cupiditatis consilio ducti, hominibus trepidè paciscentibus fidem habentes, & tamen Deo veraciter promittenti minimè credentes, sacras ipsas electiones, quas Sanctissimi Ecclesiæ Canones omnimodè pravâ pactione submotâ peragi tam districtè præcipiunt, illicitis, injustis ac per tot Apostolicas sanctiones reprobatis conventionibus per Electos, quicumque illi sint, observandis, quibus Canonica Præfatum jurisdictionem ut plurimum circumscribitur, vacantium Ecclesiarum jura læduntur, ac ipsius etiam Apostolicæ Sedis auctoritas interdum violatur, temerè inquinare satagant, atque ita abominationem desolationis in Sanctuarium invehere, sacrasque Ecclesiæ dignitates, ad quas olim nonnisi ex persecutionis tolerantia ascendebatur, in turpem quæstum, ac tenebrarum negotium commutare minimè vereantur, non sine gravissima Ecclesiasticæ disciplinæ perturbatione, fidelium scandalo, ac salutis animarum detrimento: Hinc est, quòd nos, qui libertatis, jurisdictionis, aliorumque Jurium Ecclesiasticorum assertores in Terris à Domino constituti sumus, omniumque Christi Fidelium curam supernâ dispositione gerimus, abusus quoscumque circa præmissa introductos è medio tollere, illisque in futurum omnem ansam præcidere, necnon animarum periculis, quantum nobis ex alto conceditur, occurrere cupientes, habitâ super iisdem præmissis cum

pat.

partic  
nostro  
Triden  
runt,  
parite  
certa f  
deque  
singul  
GRE  
nata,  
ut præ  
tution  
perpet  
illisqu  
mitati  
Præter  
bilius  
las pœ  
positas  
& Præ  
clesiast  
activæ  
officio  
centor  
similia  
modo  
ipso fa  
jungin  
eveller  
conve  
quoru  
rorum  
rum c  
rumli  
litana

particulari Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium ejusdem Concilii Tridentini Interpretum, qui rem maturè discussèrunt, diligenti deliberatione, de illorum consilio pariter & assensu, ac etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac maturâ deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnia & singula præmissa à præfatis NICOLAO, PIO & GREGORIO Prædecessoribus constituta, ordinata, interdicta, Decreta & respectivè declarata, ut præfertur, expeditasque desuper illorum Constitutiones seu litteras supradictas tenore præsentium perpetuò approbamus, confirmamus, innovamus, illisque perpetuæ atque irrefragabilis Apostolicæ firmitatis robor, patrocinium, præsidium adjicimus. Præterea ut eadem præmissa firmitis atque inviolabilius de cætero observentur, ultra omnes & singulas pœnas in iisdem Constitutionibus seu litteris impositas, privationis Dignitatum, Canonicatum & Præbendarum, aliorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum; & quoad Regulares, etiam vocis activæ, & passivæ, ac graduum, munerum & officiorum quorumcumque per eos respectivè obtentorum, perpetuæque inhabilitatis ad illa & alia similia, vel dissimilia quæcumque imposterum quomodolibet obtinenda, pœnas per contra facientes ipso facto, absque alia declaratione incurrendas, adjungimus. Porro ad penitus extirpandum atque evellendum abusum Capitulationum, pactionum, conventionum, concordatorum seu statutorum quorumcumque, quæ perperam ac adversus Sacrorum Canonum & Constitutionum Apostolicarum dispositionem, occurrente Ecclesiarum quarumlibet, præsertim Cathedralium & Metropolitanarum, Monasteriorum quorumvis vacatione, ab iis,

ab iis,

ab iis, ad quos electio personarum idonearum ipsis Ecclesiis seu Monasteriis, ad electionem huiusmodi respectivè præficiendarum juxta privilegia & indulgentia Apostolica eis desuper concessa, aut aliàs legitimè spectat, sive ante, sive post electionem prædictam interdum iniri, condi, aut fieri consueverint, motu, scientiâ, deliberatione, & potestatis plenitudine paribusearumdem tenore præsentium omnibus & singulis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, cujuscumque statûs, gradûs, ordinis, conditionis, præminentia vel dignitatis fuerint, sub eisdem omnino pœnis superiùs expressis, quarum absolutionem seu relaxationem Nobis & Romano Pontifici pro tempore existenti dumtaxat specialiter reservamus, districtè prohibemus & interdiciamus, ne Capitulationes, pactiones, conventiones, concordata, seu statuta huiusmodi ante ipsam quidem electionem, seu etiam postulationem de cætero inire, condere aut facere audeant quovis modo, seu præsumant; Illaque proinde, quatenus de facto contra præsentis nostræ prohibitionis formam inita, condita seu facta fuerint, nulla, inania, invalida, irrita, viribusque & effectu penitus & omnino vacua, ac nullius roboris & momenti esse, & perpetuò fore, neminemque ad illorum, seu cujuslibet eorum, etiamsi juramento vallata sint, observantiam teneri, aut obligatum existere, vel fore decernimus & declaramus. Quæ verò electione seu postulatione huiusmodi secutâ quomodolibet iniri, condi seu fieri contigerit, ad Nos seu eundem Romanum Pontificem pro tempore existentem quantum primum deferri, atque ita nostro & Sedis Apostolicæ judicio subjici præcipimus; suspensâ interim eorum omnium & singulorum executione, donec & quousque ab eadem Sede, sine cujus auctoritate nihil



nihil omnino in similibus pacisci fas est; Apostolica confirmationis robur in totum vel in partem receperint. Cæterum per præsentis non intendimus ea, quæ antehac contra supradictarum NICOLAI, PII & GREGORII Prædecessorum, seu forsan aliarum Apostolicarum Constitutionum seu litterarum formam quomodolibet gesta fuerunt, ullatenus approbare, nec pœnas ea de causa per transgressores incurfas remittere, vel condonare. Decernentes pariter easdem præsentis litteras, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quòd quilibet in præmissis seu eorum aliquo jus vel interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, cuiuscumque status, gradus, ordinis, præeminentiæ & dignitatis existant, & aliàs specificâ & individuâ mentione & expressione digni illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati & auditi, neque causa, propter quas præsentis emanarint, sufficienter adductæ, verificatæ & justificatæ fuerint, aut ex alia quacumque quantumvis juridica & privilegiata causa, colore, prætextu & capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu inentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno, substantiali ac incogitato & incogitabili, individuumque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, invalidari, retractari, ad terminos juris reduci, seu in controversiam vocari, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti vel gratiæ remedium intentari vel impetrari, seu impetrato aut etiam motu, scientiâ & potestatis plenitudine paribus concessio vel emanato quempiam in

Y

judicio,

judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse, sed ipsas præsentis litteras semper firmas, validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, ac ab omnibus & singulis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, inviolabiliter & inconcussè observari; sicque & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis præfatæ Nuntios, aliosve quoslibet quacumque præminentiam & potestate fungentes & functuros, sublatâ eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere, ac irritum & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit, nostrâ & Cancellariæ Apostolicæ Regulâ de Jure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus Provincialibusque & Synodalibus Conciliis editis Generalibus vel specialibus Constitutionibus & Ordinationibus, necnon Ecclesiarum & Monasteriorum quorumvis, & illorum Ordinum, aliisque quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, aut quavis firmitate aliâ roboratis statutis & consuetudinibus, etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, indultis & litteris Apostolicis, eisdem Ecclesiis, Monasteriis ac Ordinibus, illorumque Præsulibus & Capitulis, Abbatibus, aliisque Superioribus & personis quibuslibet sub quibuscumque verborum tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, irritantibusque & aliis Decretis, etiam motu, scientiâ, & potestatis plenitudine paribus,

bus, ac Consistorialiter, & aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, ac quantiscumque vicibus confirmatis, approbatis & innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur, & infererentur, præsentibus pro plenè & sufficienter expressis & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permanens, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expressè derogamus, ac plenissimè & amplissimè derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque; aut si præfatis, vel aliis quibuslibet communiter vel divisim ab eadem sic Sede indultum, quòd interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Ut autem eadem præsentis litteræ ad omnium notitiam faciliùs deveniant, volumus illas, seu earum exempla, ad valvas Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum, necnon Cancellariæ Apostolicæ, Curiaque Generalis in Monte Citorio, ac in Acie Campi Floræ de Urbe, ut moris est, affigi & publicari; sicque publicatas & affixas, omnes & singulos, quos illæ concernunt perinde arctare & afficere, ac si unicuique eorum nominatim & personaliter intimatæ fuissent; &c.

§. II. Hæc Constit. confirmat ea, quæ l. 3. p. 1. 672 n. 87. diximus, nempe esse simoniam, si Canonicus

Y 2

pro

pro admissione in possessionem cogatur solvere aliquid Capitularibus, vel instituere convivium &c. Quomodo autem possit contra ejusmodi prohibitionem præscribi, diximus ibidem à n. 191., item l. I. à n. 632., Et certum est necdum præscriptum esse contra hanc Constit., ubi obligavit, ita ut nunc præter id, quod Constit. permittit, non liceat exigere pecunias propter statuta, nec quidquam aliud etiam ad usus pios, licet antehac aliter docuerint multi Authores. Vide *Leur.* p. 3. q. 748. Neque potest aut consuetudo præscribere aut statutum prævalere, ut fructus primi anni, v. g. distribuatur inter seniores, quia tales consuetudines & statuta esse iniqua ac scandalosa declarant *Trid.*, *Pius V.*, *Clemens VIII.* teste *Garc.* p. 11. c. 5. à n. 162., & *Inn. XII.* per Constit. relata: Praxis autem in his partibus habet, ut provisos ad redimendam vexam pecunias, quæ propter statuta solvi debebant, deponat apud Capitulum, usque ad tempus, quo supplicetur Papæ, vel declaretur salvâ Constit. relata licere ejusmodi solutionem.

673

§. III. Quod attinet ad annos gratiæ, certum videtur, quod fructus primi anni spectent ad novum provisum, nam collatio beneficii, v. g. à quinque mensibus vacantis, hodie facta, censetur facta à momento vacationis, ergo cum provisos hodie acquirat quasi fundum beneficii, fructus omnes ab initio vacationis inhærentes beneficio, per se loquendo, pertinent ad ipsum, *Surd. Gemin. Lott. Leur.* p. 2. q. 792. Hoc non obstante fructus primi anni sæpe relinquuntur hæredibus defuncti beneficiati, & id adhuc licitum est saltem pro Parochis, quia *Inn. XII.* tantum loquitur de beneficiis Cathedralium & Collegiatarum Ecclesiarum, quoad beneficia autem simplicia adhuc putant aliqui ejusmodi statutum vel

vel consuetudinem, ut novus provifus per annum deferviat beneficio sine ullis fructibus, non repugnare nequidem Conftit. relatæ, fi eos fructus poft ejus mortem accipiant hæredes, nam defunctus fic re- ipfa percipit fructus primi anni, qui non auferuntur fed differuntur, & quafi affervantur, ut fint pro funeralibus & debitis folvendis, fi debita contraxerat, idque femper licuiffe notant ex declarationibus S. Congreg. & decif. Rotæ authores apud *Leur.* p. 3. q. 103. Idem dicit *Garc.*, fi fit statutum vel confuetudo, ut nihil percipiat, qui non erit, v. g. Subdiaconus; ad majorem tamen fecuritatem in Diocefi Coloniensi & Leodiensi supplicatum eft ratione annorum gratiæ contra illam Conftit. *Inn.* XII., & Papa remifit examen ad Congregationem, quæ hactenus non respondit. Similiter quoad illud punctum supplicarunt quatuor Capitula, urbis & suburbii Monasterienfis in Weftphalia, Anno 1701., & Congregatio remifit caufas examinandas Officiali, unde fi relatio Romam miffa nitatur caufis fufficientibus, poffunt hæc Capitula uti annis gratiæ, ufque dum aliud urgeatur.

Q. 89. Quid notandum fit circa obligationem annata vel quindena; item circa valorem beneficii. R. Seqq.

§. I. Per annatam intelligitur media pars fructum primi anni Sedi Apoftolicæ folvenda inftar decimarum, partim ad fufcitationem Papæ & Cardinalium, partim in recognitionem univerfalis dominii, quod Papa & Ecclefia habet in omnia beneficia, uti loquitur *Paulus IV.* apud *Luca* d. 89. n. 2. Hæc autem annata non folvitur ex beneficiis, quæ non excedunt 24. ducatos auri de Camera, uti habent Concordata relata n. 503., unde cum nulla beneficia in Germania, Gallia & Hispania taxentur

in Camera ultra 24. ducatos, pro illis nihil solvitur ratione annatæ, *Brand. Chok. Pirh. Leur.* p. 2. q. 601. De cætero in hoc nihil committi nundinationis vel simoniæ, probat rectè *Leur.* p. 3. q. 190.

675 §. II. Quindena seu quindenium est media pars fructuum, quæ ex beneficiis alicui Communitati vel loco pio unitis solvitur singulis 15. annis, cùm enim tale beneficium non ampliùs vacet, loco annatæ imposita est quindena, unde qui non tenentur solvere annatam, etiam non tenentur ad quindenam. Videri potest *Castrop.* T. 7. d. 3. p. 7., ubi etiam agit de charitativo subsidio, quod quandoque à beneficiatis exigitur.

676 §. III. Si quis habeat indultum conferendi beneficia, additâ clausulâ, ut sic provisus, si fructus beneficii valorem annum 24. ducatorum excedant, infra 8. menses novam provisionem à sua Sanctitate impetret, & litteras petere ac jura Cameræ Apostolicæ persolvere teneatur, dubitarunt aliqui, an etiam in Germania sic provisus non teneatur ista præstare: pro parte affirmante est, quòd indultum fit extraordinaria gratia, adeoque potuerit Papa extraordinariam clausulam addere præter Concordata, idque præsumendum fit, ne clausula ista sit frustranea. *Conf.* nam Germanus Romæ supplicans pro beneficio, licèt scribatur illud non excedere 24. ducatos, tamen putat *Plettenberg* in notit. tribunal. ad Reg. 55. Cancell. pag. 471. teneri exprimere verum valorem, ergo si revera excedat, debet id manifestare Romæ, & quia ita mandat indultum, novam petere provisionem. Nihilominus præscindendo à praxi, de qua mihi non constat, sententia negans videtur probabilior, quia dicta clausula non est specialiter isti indulto inserta, sed passim de stylo communi & antiquo omnibus ejusmodi indultis etiam

etiam Cardinalium & Legatorum Apostolicorum inferitur, uti videre est apud *Barb. de Pot. Ep. alleg. 57. n. 52. & Tond. p. 2. c. 3. §. 5. n. 22.*, idque unice, ne Camera Apostolica fraudetur annatis, quòd autem ista clausula non habeat effectum, ubi valor omnium beneficiorum non censetur excedere 24. ducatos, id per accidens est, nam obtinet effectum in indultis ad alias Provincias, ubi beneficia taxantur ad verum valorem, hinc clausula ista ubique relinquatur, ne mutetur stylus scribendi, unde dato, quòd opus sit in supplica ad Papam exprimere verum valorem, hinc non est opus ullà supplicà ad Papam, ergo nec opus hoc exprimere.

Q. 90. Quid intelligatur per valorem 24. ducatum 677  
torum de Camera. R.

§. I. Ducatus auri de Camera est Scutum aureum & unus argenteus seu Julius; Scutum autem aureum secundum monetam nostram est ducatus sive duo Imperiales in specie. Quòd si dicatur ducatus, & non addatur, *de Camera*, attendendus est valor ducati currens in loco beneficii, *Garc. p. 9. c. 3. n. 151.*

§. II. Pro designando valore beneficii non debent computari emolumenta incerta, sed sola certa, uti sunt anniversaria fixa & dotata, *Suar. Castrop. Garc. VVames.* Etiam probabiliter non debent computari stipendia pro Missis, si has posset legere per alium, tunc enim non sunt fructus beneficii sed proprii laboris, *Guttir. Graff. Garc. n. 166.*; debetque detrahi etiam pensio imposita beneficio, quia beneficium censetur valere hoc, quod beneficiato remanet detractis oneribus, *Gigas, Castrop.* contra alios: excusatur autem mala expressio valoris, si sit excessus modicus, id est, non ultra sextam partem, *Mandos. Leur. p. 2. q. 659. n. 8.*

679 §. III. Cùm anni variant in proventibus, valor taxari debet ex annis pluribus: Et sufficere attendi quinque præcedentes, dicunt *Mandos. & Mascard.* sed attendi debere 10. præcedentes docent *Garc. & Castrop.* Vide *Leatr.* q. 660.

680 Q. 91. Quid notandum sit circa possessionem annalem. R. Seqq.

§. I. De hac ita habet Regula Cancell. Dominus noster, ut improbi lites exquirentium mores reprimantur, statuit & ordinavit, quòd quicumque beneficium Ecclesiasticum tunc per annum immediate præcedentem pacificè possessum, & quod certo modo vacare prætendit, deinceps impetraverit, non veni gradum & nobilitatem possessoris ejusdem, & quot annis illud possederit & specificam & determinatam causam (ex qua constare clarè poterit, quòd nullum ipsi possessori in dicto beneficio jus competat) in hujusmodi impetratione exprimere, & intra 6. menses ipsum possessorem ad iudicium evocare facere, causamque ex tunc desuper infra annum usque ad sententiam diffinitivam inclusivè prosequi debeat & teneatur, alioquin impetratio prædicta & quacunque inde secuta nullius existant firmitatis; & idem impetrans de damnis & interesse possessorum ipsum propterea contingentibus ei satisfacere, & si possessorem ipsum frivole ac indebitè molestasse repertus fuerit, 50. florenos auri persolvere Camera Apostolica sit adstrictus, nec aliàs quàm præmissa vacationis modus, etiam per litteras, si neuter aut subrogationis vel aliàs sibi quoad hoc, ut hujusmodi beneficium eà vice consequi vel obtinere valeat, quomodolibet suffragetur, illudque nullatenus in antea litigiosum censeatur.

681 §. II. Expressio multorum, quæ Regula recenset, non est necessaria, si beneficium impetretur apud



apud Ordinarium, nam hic censetur nosse suos, hinc dicit *Chok.* ad hanc Reg. n. 55. eam non habere locum extra Curiam Romanam; habet tamen locum apud Legatum Apostolicum, apud quem etiam ista exprimi debent, *Az. Rebuff. Gonz. Leur.* p. 2. q. 830.

§. III. Possessor annalis potest in quacumque instantia, etiam post sententiam & executionem, adducere exceptionem hujus Regulæ pro defensione sui & restitutione possessionis, dummodo probet se per annum possedisse, & possedisse pacificè usque ad diem impetrationis alterius, *Gratian. Gonz. Lott.* l. 2. q. 52. n. 16. & à n. 23. *Leur.* q. 831. Quod tener, etiam si impetrans ignoraverit possessionem fuisse annalem, *Chok. Leur.* q. 841. 682

§. IV. Hæc Regula tuetur quemcumque possessorem etiam aliàs inhabilem, de jure privatum, intrusum, carentem bonâ fide & omni titulo &c., nisi per confessionem vel iudicaturam notoria fuisset inhabilitas vel nullitas tituli, *Lott.* n. 38. *Luca de benef.* d. 47. n. 16. *Leur.* q. 832. Item tuetur possessorem necdum percipientem fructus, *Gom. Mandos. Chok. Leur.* q. 842. Putat quidem *Soto* non tueri privandos sed tantum actu privatos beneficio, sed oppositum videtur verum; possessor tamen probare debet, præter possessionem, etiam aliunde competere jus in beneficio. Putat etiam *Sarn.* apud *Leur.* q. 853. Regulam non servire personæ incapaci detentionis, quia nempe ipsi prohibitum erat detinere beneficium, sed si reipsa detinuit cum colorato titulo, censetur possedisse, uti dicitur n. 685. in fine. 683

§. V. Hic annus inchoatur à die captæ possessionis & finitur eâdem die inceptâ, quia cum agatur de favore possidentis, annus computatur civiliter ad dies, & non de momento ad momentum, *Lott.* n. 21. *Leur.* q. 833. 684

Y 5

§. VI.

§. VI. Si resignans possederit per sex menses de resignatarius etiam per sex, hic non iuvatur per dictam Regulam, quia licet possessio antecessoris saepe uniatum cum possessione successoris, uti dictum est l. 3. p. 2. n. 527., tamen hæc Regula semper loquitur de uno possessore, *Mandos. Az. Lugo, Paris. Casti op. Leur. q. 835.* Neque resignatarius vel successor potest se tueri possessione annali resignantis aut antecessoris, quia Regula respicit solum possessorem actualem, ideoque ex stylo Curie censetur personalis, *Mandos. Paris.* aliique cum *Leur. q. 837.* Imò quamvis resignans beneficium per undecim menses possederit, & resignatarius ultra mensem distulerit capere possessionem, resignans non poterit se tueri hac Regulâ, quia non possedit per 12. menses, *Mandos. Paris. l. 3. q. 5. n. 64.*, qui tamen n. 58. cum aliis multis excipit casum, quo resignans perrexit ad retinere beneficium, & resignatarius necdum captâ possessione post mensem moreretur, quia quamvis per resignationem amittatur possessio civilis, videtur tamen retineri posse naturalis ac sufficiens ad effectum hujus regulæ, ad quem sufficit etiam animata tantum possessio. Vide *Leur. q. 839. & q. 840. n. 1.* Item dicenda à n. 956.

§. VII. Gaudent effectu hujus Regulæ Officia & Dignitates Ecclesiasticæ, Præstimoniam data in titulum perpetuum; item secundum *Gom. contra Mandos.*, pensiones super fructibus beneficii, beneficia commendata, Vicariæ perpetuæ, Capellanæ data in titulum; item beneficia juris patronatûs, uti tenent *Chok. contra Tond.* Econtrâ non gaudent beneficia manualia, uti nec consistorialia, de quibus Papa disponit coram Cardinalibus. Vide *Leur. q. 843.*

§. VIII. Valet hæc Regula contra impetrantem cum

cum Rescripto, motu proprio, Mandos. Chok. Leur. q. 845., quem vide q. 846. de poenis, & q. 847. de derogationibus hujus Regulæ.

§. IX. Ut impetrans aliquid possit contra possessorem, debet à tempore datæ impetrationis infra 6. menses esse executæ citatio possessoris; & à tempore executæ citationis, etiamsi primo mense facta esset, currit annus pro urgenda definitiva circa petitorium; & ad ejusmodi citationem arctatoriam requiritur, ut delegatus Apostolicus citationi faciat inseri copiam litterarum suæ delegationis, Rosa de Exec. lit. Apost. p. 2. c. 6. n. 6. His factis satis est, si impetrans faciat, quod in se est, ut intra annum pronuntietur sententia, Gonz. Lott. Chok. Et de impedimento debere protestari putant Gl. & Rebuff., sed negant Ricc. & Tond. Vide Leur. q. 844.

Q. 92. Quid notandum sit circa possessionem triennem beneficii vel fructuum. R.

§. I. De hac ira habet Regula 3., olim 35. Cancell., Statuit & ordinavit idem D. N., quod si quicumque beneficia ecclesiastica, qualiacumque sint, absque simoniacò ingressu, apostolicâ vel ordinariâ collatione aut electione & electionis hujus confirmatione seu presentatione & institutione illorum, ad quos beneficiorum hujusmodi collatio & provisio, electio & presentatio seu quavis alia dispositio pertinet, per triennium pacificè possederit, (dummodo in beneficiis hujusmodi, si dispositioni Apostolicæ ex aliqua reservatione generali in corpore juris clausa reservata fuerint, se non intruserint) super iisdem beneficiis taliter possessis nequeant molestari, nec non impetrationes quaslibet de beneficiis ipsis sic possessis factas, irritas & inanes censei debere decrevit, antiquas lites super illis motas penitus extinguendo.

§. II.

- 690 §. II. Regula de annali relinquit impetranti potestatem molestandi possessionem, sed præscribit modum & tempus, hæc autem Regula tollit potestatem molestandi, *Lott. l. 2. q. 53. n. 8. Luca de benef. d. 91. n. 2. Engel l. 3. T. 5. n. 39. Leur. p. 2. q. 850.*; imò tolluntur omnia acta & sententiæ antea latae; uti habet Regula in fine, adeoque perfectè ligantur os Judici & manus parti adversæ, *Luca, n. 3.*
- 691 §. III. Gaudent effectu hujus Regulae Commendæ perpetuæ, Officia Ecclesiastica, Hospitalia data in titulum, beneficia etiam juris patronatus, etiam reservata extra casum vacationis per obitum in Curia; Manualia tamen non gaudent. Vide *Leur. q. 861.*
- 692 §. IV. Juvat hæc Regula etiam contra Minorem & impuberem, *Sanch. in Conf. l. 2. c. 1. d. 22.*; item contra provisum à Papa de beneficio etiam reservato, si excipias per obitum in Curia, *Luca n. 51.* Regula tamen valet tantum contra privatum agentem ex alia impetratione, non autem contra Ordinarium vel alium Superiorem visitantem aut inquirentem in titulum beneficii, huic enim tenetur probare titulum esse saltem coloratum, *Felin. Lott. n. 8. & q. 46. à n. 35.* Quòd autem addit *Chok.* ad hanc Reg. n. 76., talem possessorem, si inveniatur vitium, posse amoveri, loquitur in sua sententia putans per triennem possessionem non præscribi titulum, de quo dicitur n. 716.
- 693 §. V. Etiam juvat Regula sæcularem, si triennio possederit beneficium regulare, & regularem, si sæculare, quia licet requirantur 40. anni, ut mutetur status talis beneficii, secundum dicta à n. 296., non tamen, ut beneficium censeatur possessori acquisitum, *Sanch. in Dec. l. 7. c. 29. n. 87.*
- 694 §. VI. Fructus beneficii triennio præscribuntur, *Mol. Tom. 3. d. 718. n. 1. Sanch. in Conf. l. 2. c. 1. d. 34.*

d. 34. n. 17. *Dicast.* de Restit. d. 5. n. 84., quia numerantur inter res mobiles, uti expressè *Mol.*; res autem mobiles cum certo titulo præscribuntur triennio, sine titulo 30. annis, etiam contra quamcunque Ecclesiam, uti cum iisdem aliisque AA. habet *Hann.* de Just. T. 5. n. 271. Addunt *Sanch.* alique cum *Dicast.* à n. 85. præscribi fructus per triennium, etiam si consumpti sint ante triennium elapsum; item ad hos præscribendos sufficere generalem titulum possessionis, *pro suo*, nam in præscribendis accessoriis sufficit hic titulus absque alio speciali, fructus autem præscribuntur tanquam accessorii rei bonâ fide possessæ.

Q. 93. *Quanam conditiones requirantur, ut quis juvetur privilegio Regulae de triennali.* R. Requiritur tam multæ, ut *Luca* de benef. d. 91. aliquoties repetat rarum esse casum, in quo possessor beneficio hujus tantum Regulae juvetur, præcipuæ autem sunt seqq.

1. *Habilitas personæ ad possidendum vel detinendum beneficium, uti declarabitur à n. 703.*

2. *Bona fides, uti habet communis cum Nav. Rebuff. Sanch. in Conf. l. 2. c. 1. d. 31. n. 20., quamvis contradicant Com. Covar. Erescent. Sa, Castrop. Tond. Chok. Leur. p. 2. q. 857., sed videtur dicendum, quòd bona fides non requiratur ad tuendum se pro foro externo, attamen requiratur ad præscribendum jus pro foro interno, uti rectè Dicast. de Just. l. 2. T. I. d. 1. à n. 151. Vide dicenda n. 716., ut enim jus præscribatur in beneficio, requiritur bona fides, eo modo, quo l. 3. p. 2. à n. 479. diximus requiri ad præscriptiones ordinarias.*

3. *Possessio, de qua videnda sunt dicta l. 3. p. 2. à n. 507., item dicta hic à n. 450. Quòd si possessio per alium sit capta, currit priùs à tempore ratihabitionis*

bitionis, debetque semper ab allegante probari possessio, *Luca* n. 9.

4. Possessio pacifica, eo modo, quo dictum est a n. 526. Et ut possessio Caji ad effectum hujus Regulae sit pacifica, satis est, quod sine lite jam praeterierit triennium, quamvis ante illud per Titium fuisset Cajo mota lis, quia haec Regula est ad extinguendas antiquas lites, *Lott.* l. 2. q. 53. n. 19. Et quamvis forte ante absolutum triennium moverit litem Titius, tamen Cajo currit triennium contra alios, respectu quorum manet pacificus possessor, *Gl. Sanch. Rebel. Tond.* Quod si contradictio extrajudicialis fuerit cepta, sed per triennium intermissa, prodest Regula, *Burat. Tond. Vide Leur.* q. 852.

697 5. Possessio ejusdem per triennium; unde possessio antecessoris etiam hic non unitur, sed nunc possidens debet habuisse beneficium per triennium, unde de annali dictum n. 605. si tamen praedeceffor triennio pacifice possederit, successor non tenetur amplius justificare illius titulum, *Lop. Mascard. Gart.* p. 11. c. 1. n. 12. ideoque successor per hanc Regulam defenditur contra molestantes, *Rebuff. Rpa.* *Sanch.* d. 23. *Luca* n. 7. Putatque cum aliis *Diana* p. 9. t. 9. R. 67. q. 5. sufficere, si ultimus dies triennii sit inceptus, secundum dicta n. 684. De possessione surrogati, vide dicta n. 546.

698 6. Possessio non interrupta: si tamen quis per annum pacifice possederit, & resignarit coactus vel metu cadente in constantem virum, obtinueritque restitutionem per actionem, quod metus causa, ac per alios duos annos pacifice possederit, gaudet beneficio triennalis, ac si possessio non fuisset interrupta, quia quando quis pristino juri restituitur, illud ex toto redit, *L. Quod si Minor*, §. 4. ff. de Minoribus, *Rebuff. Paris.* apud *Leur.* p. 3. q. 703. n. 4.

7. Titulus saltem coloratus, de quo dicitur à n. 697  
708., debetque esse vel verè probatus, ostendendo  
litteras provisionis, vel præsumptivè allegatus, uti  
si quis per 10. annos beneficium possederit, secun-  
dum dicenda n. 715. Tali titulo habito putat *Tond.*  
allegari posse quemcunque alium meliorem de cæ-  
tero facilè obtinibilem, v. g. dispensationem, imò  
ad præsumendum titulum sufficit hæc possessio tri-  
ennalis, si Episcopi omni anno visitent, quia non  
est præsumendum, quòd tanto tempore tolerassent  
intrusum, *Inn. Dec. Ferret. Pontan. Paris. Lett.*  
Item ex possessione triennali non tantùm præsumi-  
tur dispensatio, sed etiam facta publicatio resigna-  
tionis, nisi aliud constet. Vide *Leur. p. 2. q. 853. 854.*  
Quòd si titulus coloratus reducatur ad non colora-  
tum, uti si possessor triennalis pro colore suæ pos-  
sessionis alleget titulum resignationis, quam nunc  
constat fuisse invalidam, Regula non juvat, *Rebuff.*  
*Gom. Sanch. d. 31. n. 10.* Debet autem probari, quòd  
beneficium fuerit possessum ex vi talis tituli; nec ju-  
vat possessorem habuisse titulum, si vi ejus non pos-  
sedit, *Luca n. 14.*

8. Ut beneficium non possideat contra decreta 700  
*Trid. de Reform. Ses. 7. c. 4:* ut non habeantur plu-  
ra incompatibilia: & *Ses. 14. c. 17.* ut habeatur  
unicum competens ad sustentationem: & *Ses. 25. c.*  
*15.* ut filius Clerici illegitimus non habeat beneficium  
in Ecclesia, ubi pater ejus habet aut habuit: ita enim  
habet expressa declaratio S. Congreg. apud *Garc. p.*  
*II. c. 5. n. 379.* Vide dicenda n. 763.

9. Ingressus non debet fuisse simoniacus.

10. Possessor non debet esse intrusus.

II. *Sanch. d. 33.* etiam requirit, ut possessor non 701  
fuerit violentus, sed contradicunt alii cum *Az.*, quia  
regula nihil habet de violento, sed solùm *Conc.*

*Basi-*

*Basileense*, quod in eo non habet vim legis, uti notat *Lugo* de Just. d. 7. n. 128., *Castrop.* tamen dicit aliquem amittere jus, si invito possessore violenter occupet, sed prærequirit sententiam Judicis saltem declaratoriam. Docet etiam *Gom. Paris. Chok. Lew.* q. 859. carere privilegio Regulæ spoliatores, qui viâ facti occupavit beneficium alienum per meram usurpationem, quia nempe talis fit intrusus, secundum dicenda n. 713.

702 12. Ut beneficium non fuerit reservatum propter obitum in Curia, unde non obsunt aliæ reservationes omnes, *Gom. Sanch.* d. 34. n. 5. Excipit *Luca* n. 18., nisi his reservationibus annexum sit decretum irritans, quod impediatur colorem tituli & possessionem omnem, secundum dicta n. 657.

703 Q. 94. Quid notandum sit circa varios, qui a quibusdam dicuntur inhabiles ad gaudendum beneficio Regulæ, de trienniali. R. Seqq.

§. I. Certò inhabiles sunt laici, conjugati, bigami, quia non tantum non possunt consequi beneficium, sed nec præhabitum retinere, *Sanch.* in Conf. l. 2. c. 1. d. 31. n. 21. Reliquos non expressè exclusos per Regulam putant juvari *Gom. Nav. Sanch. Chok. Castrop.* t. 13. d. 2. p. 33. n. 9. *Luca* de benef. d. 91. n. 3., quia quamvis sint incapaces veri tituli, tamen non sunt omnino incapaces beneficii, cum habere possint titulum coloratum, quasi possessionem &c. unde licet *Lugo* de Just. d. 7. 110. putet eos non juvari, qui ex parte personæ jure ipso sunt incapaces, si impedimentum perduret etiam post triennium, tamen AA. citati & *Diana* p. 11. t. 5. R. 3. dicunt per Regulam juvari omnes illos, qui etiam ex parte personæ inhabiles sunt ex pœna, censura, irregularitate &c., eò quòd vi hujus Regulæ censeatur fieri dispensatio vel tolli impedimentum in ordine ad



ad tale beneficium triennio possessum. Et in specie secundum *Sanch.* & alios juvantur excommunicati, spurii, irregulares, suspensi, non promoti ad gradum requisitum, non dispensati ad tale beneficium, qui non habuerunt ætatem, habentes beneficia incompossibilia, non promoti intra annum ad Ordinem debitum. Consentit *Sot.* de excommunicatis, etiam hæreticis, donec spolientur (attamen de hæreticis contradicunt *Rebuff. Chok.* & ipsemet *Sanch.*, quia incapaces sunt possessionis & omni beneficio ac auxilio juris carent, *Cap. Si adversus*, de hæreticis) Idem cum *Sanch.* sentiunt *Gom.* & *Chok.* de illegitimis & spuriis; idem *Paris.* & *Chok.* de non promotis intra tempus ad Ordinem debitum; idem *Gom. Paris. Rebuff.* de possidentibus duo curata, quamvis quoad hos merito contradicant *Tond.* & *Chok.* ob declarationem S. Congreg., de qua dictum est n. 700.

§. II. Juvatur, qui per sub-vel obreptionem obtinuit beneficium, uti cum aliis *Diana R. 4. q. 3.*: Item is, qui beneficio privatus erat ipso jure vel per sententiam, dummodo pergat possidere. Vide *Leur.* p. 2. q. 860. 704

§. III. Si Clericus suaserit concubinæ abortum, licet triennio possideat, docent aliqui non juvari per Regulam, sed contradicunt alii cum *Sanch. d. 34. à n. 10.* & *Burgh. Cent. 2. cas. 7.*, quia non est inter exceptos. 705

§. IV. Putant *Hofst. Gemin. Sarn. 1. Andr. Car-* 706  
*den.* etiam eum juvari, qui resignationem suam non publicavit, quia talis continuatio videtur æquivalere publicationi, quando autem forma respicit certum effectum, potest per æquipollens adimpleri, *L. Tubemus*, Cod. de testam.; sed contradicunt *Ferret. Paris. Chok. Leur.*, quia Papa requirit formalem publi-

publicationem, & tollit titulum coloratum non publicanti, ac exprimit contravenientes non defendi Regulâ annali aut triennali. Similiter secundum *Chok.* non juvatur præcista nominatus ad primam vacaturam, & acceptans in casu non concesso. Nec ille, qui ex sola electione sine confirmatione possidet beneficium, *Gom. Sot. Chok.* Nec ille, qui non emisit professionem fidei juxta *Trid. Sess. 24. c. 12. Paris. L. 8. q. 9.* Vide *Leur. q. 860.*

707 §. V. Si beneficium resignatum in manus Ordinarii fit collatum consanguineo collatoris vel resignantis, & in ea Diocesi recepta fit *Constit. Pii V.* de qua dicemus à n. 1011. hic non videtur juvari per Regulam, secundum dicta n. 657., quia additum est hoc decretum irritans, *quòd si secus ac etiam quidquid præter vel contra formam prædictorum fuerit à quocunque temerè attentatum, id totum ex nunc vires & effectum decernimus non habere,* per hoc enim videtur imprimis tolli potestas conferendi consanguineo, cum velit non habere vires & effectum, collatio autem facta alicui sine potestate conferendi non dat titulum nequidem coloratum, uti constabit ex dicendis n. 708., Ergo. Deinde etiam videtur tolli proviso potestas capiendæ possessionis, cum non possit illam nec licitè nec validè inchoare, sine potestate autem capiendæ possessionis, non potest capi vel haberi possessio, ergo. *Conf.* decretum illud irritans facit, ut quidquid factum est à collatore & proviso, sit nullum & quasi non factum, facit enim nullas habere vires & nullum effectum, ergo nunc est, atque si nec collatio sit huic facta nec ab hoc capta possessio, exclusâ autem collatione tanquam fundamento tituli colorati, & præcluso ingressu in possessionem non potuit incipere illi currere tempus præscribendi: Quòd si reipsa causaretur titulus

titulus coloratus & caperetur possessio, talis provi-  
sio haberet aliquem effectum, quod tamen negat  
Bulla, ergo.

Q. 95. *Quis titulus dicatur coloratus.* R. Qui ap- 708  
paret, seu probabiliter videri potest esse justus, uti  
si collatio habeatur ab eo, qui habet potestatem or-  
dinariam conferendi, quamvis nunc adfuerit impe-  
dimentum validæ provisionis, *Sanch.* in Conf. l.  
2. c. 1. d. 31. Notantque *Gom. & Diana* p. 11. t. 5.  
R. 4. q. 3. *Sequentia*, 1. Si beneficium prius detur  
Cajo & postea Titio, Cajum habere verum titu-  
lum, Titium habere coloratum. 2. Si Cajo detur  
beneficium Titii adhuc viventis, mortuo Titio Ca-  
jum habere titulum coloratum. 3. Si impetratum  
sit beneficium non expresso ejus valore, quando id  
fieri debebat, ad talem collationem sequi titulum  
coloratum: 4. Si beneficium litigiosum aut aliter  
contra aliquod decretum Cancellariæ alicui detur,  
acquiri colorem tituli.

Q. 96. *Quis ingressus hic dicatur simoniacus;* 709  
*an Regula, de trienniali, semper obstet simonia.* R.

§. I. Tum est ingressus simoniacus, si quis sci-  
ens esse commissam à se vel alio simoniam in ade-  
ptione beneficii, illud ingrediatur: è contrà si ipso  
ignorante sit à tertio, v. g. à patre ipsius commissa,  
non excluditur beneficio Regulæ, *Gom. Rebuff. V-*  
*gol. Suar.* de simonia c. 57. n. 38. *Garc.* p. 8. c. 1. n.  
15. *Less.* l. 2. c. 35. n. 140. *Sanch.* in Conf. l. 2. c. 1. d.  
32. *Castrop.* t. 13. d. 2. p. 33. n. 11. *Luca* de benef. d. 91.  
n. 6. *Leur.* p. 2. q. 873. Putat quidem *Chok.* ex vi Re-  
gulæ non esse tutum in conscientia, sed teneri pete-  
re absolutionem & novam provisionem à Papa,  
sed loquitur in sua sententia, putans possessione tri-  
ennali non acquiri jus, de quo dicitur n. 716.

§. II. Si quis à principio sit ingressus cum titulo, 710

Z 2

sed

sed postea commiserit simoniam: aut si antea commiserat simoniam, sed postea supervenerit titulus coloratus, per quem sit ingressus, docent *Gom. & Chok.* non obstare Regulæ, quia non est ingressus vi simoniæ sed alterius tituli; contradicit *Lugo* de just. d. 7. n. 127., quia subjectum illud erat incapax, sed responderi potest incapacitatem illam fuisse tantum ab extrinseco, ideoque non obstitisse Regulæ, secundum dicta n. 703.

711 §. III. Si quis ex solo titulo simoniaco possideat, quamvis dispensatus & absolutus sit à simonia & poenis, tamen non posse juvari hac Regulâ docent *Lugo & Haun.* de just. t. I. t. 5. n. 280., quia ingressus fuit reipsa simoniacus, de cuius poenæ sublatione, debuisset fieri mentio.

712 §. IV. Non obstat simonia mentalis tantum vel conventionalis, sed ut excludatur effectus Regulæ, debet præcessisse simonia realis utrimque completa, secundum dicta l. 1. n. 212.

713 Q. 97. Quis dicatur intrusus, & quæ intrusio obstet Regulæ de triennali. R.

§. I. In genere omnis ille dicitur intrusus, qui accipit vel retinet beneficium, sciens nullum sibi jus competere in illo: sed strictiùs loquendo, *Castrop.* t. 13. d. 2. p. 33. n. 11. & alii communiter per intrusum intelligunt illum, 1. Qui sine auctoritate veri collatoris se immittit in beneficium. 2. Qui sine titulo se ingerit in administrationem beneficii. 3. Qui post electionem ante confirmationem beneficium administrat. 4. Qui absque legitima institutione fructus beneficii percipit. 5. Qui beneficium retinet, postquam per sententiam iudicis amotus est, nisi ab illa jure appellet. 6. Qui detinet beneficium, quo ipso jure privatus est; sed accedere debet sententia saltem declaratoria criminis, si ob crimen priva-

privatus sit, *Covar. Vasq. Castrop.* 7. Qui cum excommunicatione vel suspensione vel interdicto ab officio, adeptus est beneficium. 8. Qui canonicum titulum habens, violenter occupat beneficium; prærequiritur tamen sententia declaratoria, *Covar. Vasq. Castrop. Lugo de Just. d. 7. n. 132.* 9. Qui possessionem beneficii accipit necdum expeditis à Papa literis, sed solâ supplicatione signatâ, *Az. Castrop. Fill.* aliique communiùs contra *Sanch.* in *Conf. l. 2. c. 2. d. 21. & Rebuff.*, quamvis enim per solam signaturam perficiatur gratia, nec requiratur semper scriptura, hic tamen requiritur ob novas Constitutiones Pontificum, *Castrop. Lugo n. 133.*

¶ II. Nulla intrusio videtur obstare Regulæ de 714  
triennali, nisi ex provisione alterius quàm Papæ aliquis ingressus sit beneficium vacans per obitum in Curia, vel secundùm *Constit. Iulii III.* apud *Pias.* in præm. n. 9., si susceperit administrationem beneficii aut dignitatis ante expeditas literas aut confirmationem obtentam, vel denique si sit aliquo ex dictis modis intrusus, & nullitas seu vitiositas tituli sit notoria aut manifestè probetur. Vide *Leur. p. 2. q. 362.*

Q. 98. Quid notandum sit circa possessionem 715  
decennalem. R. Hæc majores habet favores quàm annalis & triennalis, nam decennalis habet vim tituli, nisi constet de intrusione, *Gl. Archid. Paris. Sanch.* in *Conf. l. 2. c. 1. d. 30. Lott. l. 2. q. 53. n. 31. Luca de benef. d. 91. n. 15. Tond. p. 1. c. 85. n. 1.* dicens esse certum: quod tenet, etiamsi non doceatur de titulo colorato, nam ex decennali oritur præsumptio canonici ingressus, *Luca n. 16.*, nec præsumi debet, quòd Episcopi visitantes permetterent ad decennium aliquem intrusum: hinc nequidem Episcopum post decennium posse ex officio cogere Cleri-

Clericum ad exhibendum suum titulum, docet *Fagn.* in Cap. *Licet Heli*, de simon. à n. 22., ideoque etiam talis possessio sustinetur, quamvis manifestè haberet juris communis resistantiam, quia præsumi potest dispensatio, *Postius* de Manut. observ. 44. n. 22. Et sola negativa, quòd titulus sufficiens non adfuerit, tamdiu perfectè non probatur, quamdiu adest sola possibilitas in contrarium, *Luca* d. 94. n. 12. *Resa* de Exec. Lit. apost. p. 1. c. 7. n. 15. Possuntque plures tituli præsumi, cum unus non præjudicet alteri, *Luca* d. 39. n. 4. & d. 79. n. 8.

716 Q. 98. An aliqua possessio non tantùm generet præsumptionem tituli, sed re ipsa conferat titulum & jus, si fortè defuit. R.

§. I. Annalis non confert, uti tenent omnes, quia permittit litem contra possessorem. Quòd triennalis etiam non conferat, docent *Covarr. Felin. Gom. Az. Mol. Chok. Castrop. Leur.* p. 2. q. 827. & ideo per hanc regulam non defendi aliquem in petitorio sed in solo possessorio, adeoque posse impeti ac privari, si post triennium erumpat vitium vel nullitas tituli, docent *Gl. Chok. Leur.* q. 858. Rationem dant, 1. quia tantùm prohibetur, ne possessor triennalis molestetur litibus, quod servari potest, quamvis ipse cognoscens vitium suæ provisionis teneatur beneficium dimittere aut dispensationem impetrare. 2. Quia titulus beneficii aliter acquiri non potest, quàm Canonicâ institutione uti significatur *Reg. 1. Juris* in 6., & Cap. *Ex frequentibus*, de Instit. 3. Quia aliàs ad quid posset Ordinarius ab eo, quem sciret triennio possedisse, exigere titulum beneficii? id autem posse, diximus cum communi n. 692. E contra, quòd titulum conferat, reddatque tutum in conscientia, docet *Nav. Sot. Rebuff. Sa, Sanch.* in Conf. l. 2. c. 1. d. 21.

Zyp.

Zyp. l. 3. conf. 2. Lugo de Just. d. 7. n. 107. Diana p. 9. t. 9. R. 67. & p. II. t. 5. R. 4. q. 2. Haun. de Just. t. 5. n. 284. Suadet ex Conc. Basileensi, à quo primum tradita est Regula, quod teste Zypæo ita habet, non possit postea in petitorio vel possessorio à quoquam etiam ratione juris noviter impetrati molestari: Estque hoc rationi consentaneum, inquit Less. de Just. l. 2. c. 6. n. 35., quia est similis præscriptioni, per quam conferri jus etiam pro foro conscientia diximus l. 3. p. 2. à n. 470., valetque hic ratio ibi adducta; & si possint præscribi bona Ecclesiastica, cur non beneficia? Hinc respondent, Ad 1. Hoc ipso, quod Papa mandet aliquem non molestari super fructibus & possessione, per hoc sufficienter ei adjudicari jus ad licitè percipiendos fructus, quod jus est ipse titularis beneficii. Ad 2. Hæc præscriptio est Institutio Canonica, quia per Canones habet hanc vim talis possessio. Ad 3. Adhuc possent subesse vitia impediencia effectum Regulæ, uti sunt inhabilitas possidendi, & ingressus per simoniam, intrusio, mala fides, possessio non pacifica &c. de quibus dictum est à n. 695. Quod attinet ad fructus per triennium sine titulo perceptos, hi restitui debent, exceptis illis, qui functioni & labori respondent: si tamen etiam hos per triennium possedit, præscripsit: item si bonâ fide consumpsit & non sit factus disior, à restitutione excusatur, Sanch. c. 2. d. 34. Lugo n. 136. Diana p. 7. t. 10. R. 26.

§. II. Possessio decennalis inter præsentis, vicennalis inter absentes, de jure communi præscribit jus in beneficio Ecclesiastico, eo modo, quo præscribuntur aliæ res immobiles, secundum dicta l. 3. p. 2. n. 530. 717

Q. 100. Quid notandum sit circa modam obtinendi beneficium ratione Coadjutoria. R. Seqq. 718

Z 4

§. I.

§. I. Coadjutoria est facultas alicui concessa adjuvandi beneficiatum in sui beneficii regimine; ideoque de se non est beneficium, *Abb. Az. Castrop. t. 13. d. 1. p. 9. n. 1.* Et potest dari ad tempus vel ad vitam Coadjuti, idque sine vel cum futura successione, tam in simplicibus quàm curatis beneficiis.

719 §. II. Papa potest alicui dare Coadjutoriam perpetuam cum futura successione, etiam non derogando decretis Canonum vel Conciliorum, quæ detrahantur occasiones captandæ mortis alienæ, quia non loquuntur de casu, quo Papa id faciat, *Castrop. à n. 8.*

720 §. III. Etiam Cardinales & Episcopi possunt assignare Coadjutores pro beneficiis, quorum institutio ad ipsos spectat, *Abb. Gonz. Castrop. à n. 5.*, sed non nisi ad tempus, *Trid. Sess. 21. c. 6. de Ref.*, nec cum futura successione, quia provisio & promissio beneficii vacaturi est irrita, si fiat ab alio quàm Papa, *Castrop. n. 7.*, & diximus à n. 461. Ad dicit *Nicol. tit. 1. dub. 8. à n. 3.* tunc tantùm posse Episcopos & Cardinales, si à Papa habeant indultum conferendi beneficia vacantia in mensibus Papalibus: id tamen non posse Universitates habentes simile indultum: Et §. 6. notat cum *Brand.* beneficia, super quibus data est Coadjutoria perpetua, etiam cum futura successione, cadere sub Concordata Germaniæ, ideoque posse Ordinarios hæc beneficia in suo mense vacantia conferre, nisi Papa expressè derogarit Concordatis, quod non solet, secundùm dicta n. 519.

721 §. IV. Causa dandi Coadjutorem est, vel impotentia administrandi, vel mala administratio Coadjuvandi, uti habent jura & AA. cum *Castrop. n. 4.* Quòd si pro motivo allegetur infirmitas, hæc debet esse



esse absque probabili spe futuræ meliorationis, nisi simul adesset senectus, quæ ipsa est morbus, *Luca de benef. d. 78. n. 4.*

§. V. Obtenturus Coadjutoriam à Papa, debet 722  
in supplica facere mentionem beneficii etiam compatibilis prius obtenti, *Garc. Castrop. p. 10. à n. 48.* Et si Coadjutoria concedatur ad tempus, Coadjutor debet actu habere Ordinem & cæteras qualitates requisitas ad ministerium, *Castrop. p. 9. n. 11.*; è contrà si concedatur in perpetuum & ad beneficium non curatum, probabile est satis esse habere ætatem requisitam, & intra annum suscipere Ordinem, *Paris. Gonz. Garc.* Si autem concedatur in perpetuum ad beneficium curatum, docet *Castrop. p. 10. n. 42.* debere esse actu Sacerdotem. Si dicas, satis esse Parochum intra annum fieri Sacerdotem, dat disparitatem, quia Parochus non tenetur primo anno per se ministrare Sacramenta, Coadjutor autem tenetur, ne opus sit Coadjutore Coadjutoris: verùm videmus aliter in praxi fieri, quia passim fiunt Coadjutores in Episcopatibus, qui Sacerdotium non habent.

§. VI. Si Coadjuvandus fuerit mortuus tempore gratiæ signatæ, Coadjutor succedere non potest, quia gratia succedendi dabatur dependenter ab obligatione præstandi servitii pro Coadjuto, quod nunc non habet locum: si tamen adhuc vivebat tempore datæ, etiamsi mortuus sit incio Coadjutore ante præstitum ullum servitium, potest succedere, *Garc. Castrop. n. 34.* 723

§. VII. Coadjutor potest illa solùm, five spiri- 724  
tualia five temporalia exercere, quæ jure vel consuetudine pertinent ad Coadjutoris officium, inter quæ non sunt ea, quæ Coadjutus potest & vult per se ipsum agere, *Garc. p. 5. c. 4. n. 274.*; unde non potest conferre beneficia, quamvis Coadjutus non con-

tradicat, *Pavin. Selv. Coras. Rebuff. Garc. n. 275. Castrop. d. 2. p. 27. n. 5. Leur. p. 2. q. 679. contra Nav. Campeg. Gonz.* Nec tenetur Coadjutus talia agere cum consilio vel auxilio Coadjutoris, nisi hic ei datus esset: ob malam administrationem, *Castrop. Garc. n. 273.* Quod si Coadjutus esset amens, Coadjutor posset, quod poterat Coadjutus, *Az. Paris. Castrop. Garc. n. 270.* Quamvis autem amens non sit, si tamen absit, administrare potest Coadjutor, ac si esset proprietarius, & habet stallum in choro, vocem in Capitulo, & gaudet omnibus privilegiis, quæ ratione præbendæ habet Coadjutus, huic tamen lucratur omnia, ac tenetur compensare, si quid negligat; nec potest v. g. adire Capitulum vel chorum, si Coadjutus ex justa causa sit invitus, *Garc. Castrop. d. 1. p. 10. à n. 1.* Nec possunt Coadjutor & Coadjutus simul in eodem officio ministrare, quia uterque facit unam personam, *Garc. Castrop. n. 24.* Nec Coadjutori debetur, v. g. sedes aut anteceden-  
tia, quam habuit Coadjutus, sed sequitur reliquos omnes, talia enim debebantur Coadjuto, non ratione præbendæ, sed ratione longioris possessionis, quàm Coadjutor nunquam habet, cum non possideat beneficium, ideoque nunquam potest ratione Coadjutoria præferri ulli habenti in tali Ecclesia proprium Canonicatum, etiamsi hic Canonicus diu post possessam Coadjutoriam obtinuisse Canonicatum, *Gonz. Garc. Castrop. à n. II. & iterum n. 25.* si tamen talis Coadjutor deservierit uno vel tribus annis, Regulæ de annali & triennali favent ipsi, ut pergat Coadjuvare, quia Coadjutoriam possedisset, *Gonz. Garc. Castrop. n. 19.*

725

§. VIII. Coadjutor non tenetur solvere jura statuta pro ingressu, cum non percipiat commoda, *Garc. Castrop. n. 13.* Nec tenetur ad onera, quæ subire

subire solent alii juniores Canonici, cum Canonicus non sit, & tantum substituatur Coadjuto, *Garc. Castrop. n. 44.*; si autem velit non residere per trimestre, debet accipere eosdem menses, quos Coadjutus, alias censeretur habere sex menses absentiae, *Gonz. Garc. Castrop. p. 9. n. 14.*

§. IX. Coadjutus tenetur dare Coadjutori congruam sustentationem, quia *qui altari servit, de altari vivere debet*, *Cap. Cum secundum Apostolum, de praebeud., Trid. Sess. 21. c. 6. de Ref., Gonz. Garc. Castrop. p. 10. n. 47.* Si autem proventus beneficii utriusque non sufficiant, praefertur Coadjutus, cum possideat; possit tamen Episcopus cogere populum ad alendum Coadjutorem sibi aut alicui Parocho necessarium, *Az. Barb. Ricc. Castrop. p. 9. n. 3.*

§. X. Habens Coadjutorem, non ideo excusatur a residentia, uti de paroco declaravit S. Congreg. apud *Castrop. n. 12.* Vide dicenda n. 867. E contra Coadjuto legitime impedito, quominus interfit v. g. choro, non ideo excusatur Coadjutor, quia datus est, ut suppleat in necessitate, *Farin. Castrop. p. 10. à n. 6.* Si tamen absit etiam Coadjutor, & Coadjutus sit legitime impeditus, habetur pro praesente, & fruitur omnibus, uti alius non habens Coadjutorem, *Cap. un. de Cleric. non resid. in 6., Nav. Gonz. Garc. Castrop. n. 9. & 45.* Similiter si Coadjutor sit legitime impeditus, censetur pro Coadjuto esse praesens, *Grat. Gonz. Garc. Castrop. n. 15.*; id tamen non tenet, si vellet abesse ratione studii in Universitate, aut servitii praestandi Episcopo, nam hoc privilegium non residendi conceditur tantum illis, qui ratione beneficii sui tenentur residere, Coadjutor autem non tenetur ratione beneficii sed officii, *Garc. Castrop. n. 40. Addit n. 41.*  
Coad-

Coadjutorem fervientem in Cathedrali posse lucrari fructus beneficii in alia Ecclesia, licet hoc alioqui requirat residentiam.

728 §. XI. Si Coadjutus ob excommunicationem esset incapax fructuum, Coadjutor posset eos lucrari, non Coadjuto sed sibi, quia tunc non servit nomine Coadjuti sed nomine Ecclesie, secundum ordinationem Papæ, *Garc. Castrop. n. 16.*

729 §. XII. Habens Coadjutorem cum futura successione pro certo beneficio, non potest optare aliud loco illius, nisi Coadjutori sit data facultas etiam in optione succedendi Coadjuto, alioquin gratia Coadjutori facta fieret frustranea, *Gonz. Castrop. n. 28.* hinc etiam ab alio optari non potest præbenda, quæ vivo Coadjuto erat adjudicata Coadjutori, *Garr. Castrop. n. 29.*

730 §. XIII. Coadjutor potest per seipsum renuntiare jus succedendi, sed non potest dimittere obligationem serviendi sine consensu Papæ; sufficit tamen consensus Ordinarii, si Coadjutus consentiat, *Paris. Garc. Castrop. n. 31.*

731 §. XIV. Si quis accipiat possessionem beneficii incompatibilis cum ministerio Coadjutoris, hæc eo ipso vacat, *Clemen. Gratia, de Rescrip., Censuris renuntiare gratia, ut de beneficio vel dignitate provideari, si ante adeptionem ejusdem aliud beneficium pacifice obtineas, quod simul de jure cum dignitate vel beneficio virtute dicta gratia tibi debito retinere non posses, licet illud resignaveris aut sis resignare paratus, Garc. Castrop. n. 30.*

732 §. XV. Coadjutor potest etiam per substitutum præstare ea, quæ potest per seipsum, & facit tanquam Coadjutor, v. g. potest alicui committere, ut pro se eligat, quia ut ista agat, habet ab Ecclesia & non à Coadjuto, ergo potest delegare alteri, *Garc.*

*Garc. Castrop.* n. 35. Et quidem potest talis Coadjutor habere duo vota, unum de se, si habeat v. g. dignitatem in illo Capitulo, alterum ratione Coadjuti, *Castrop.* n. 37. Quod si sit Coadjutor dignitatis & Canonatus, potest Coadjuto relinquere votum ratione dignitatis & dare suum ratione Canonatus, *Garc. Castrop.* n. 38.

§. XVI. Quamvis Coadjutor reipsa non haberet dignitatem vel Canonatum, tamen potest esse Judex Apostolicus vel synodalis, quia habet prerogativas talium, quorum est Coadjutor, & fictione juris censetur talis, *Gonz. Castrop.* n. 39. contra *Garc.* Videri possunt plura apud *Garc.* p. 4. c. 5. à. n. 55. *Castrop.* cit. p. 9. & 10. *Leur.* in speciali tract. de Coadjutoriis, sub titulo, de Vicariis Episcopi.

## ARTICULUS III.

734

*Qua intentio, & qualitates requirantur ad Beneficium accipiendum.*

**R**esp. I. Ut Beneficium aliquod validè & licitè obtineatur, requiritur, ut sit persona capax & habilis, hoc est, ut sit Clericus, non illegitimus (cum quo tamen Episcopus dispensare potest ad Ordines minores, & Beneficium simplex, cui Ordo major non est annexus) non irregularis, non excommunicatus, non improbus aut facinorosus, ut habeat scientiam competentem ad munus Beneficio annexum, & ætatem legitimam, nisi dispensetur, scilicet pro Beneficio simplici annos 14. (sufficere tamen 14. inchoatum, docet *Dian. p. 3. t. 6. R. 64. ex Azor. & aliis 5.*) pro eo, quod Subdiaconatum requirit, vigesimum primum; pro eo, quod Diaconatum, 22.; pro eo, quod Sacerdotium, vigesimum quartum